VETUS LATIUM
Profanum & Sacrum.

AUCTORE

PETRO MARCELLINO CORRADINO
Sanctiſsimi Domini Noſtri
CLEMENTIS
PAPÆ XI.
SUBDATARIO.

TOMUS SECUNDUS,
In quo agitur de Latio Gentili.

ROMÆ, MDCCV.
Per Franciſcum Gonzagam in area Sancti Marcelli ad Viam Cursûs.

EX PRÆSIDUM PERMISSU.

VETUS LATIUM

Profanum & Sacrum.

ANTIQUITATES

ROMANÆ

GENTILIS & PONTIFICIÆ

Auctore

THOMA DEMPSTERO

Scoto Aberdonensi.

EDITIO NOVISSIMA.

Cum Notis Variorum.

INDEX CAPITUM.

LIBER SECUNDUS,

De Setinis.

Cap. i. *De Setiæ origine, ejusque situ* pag. 1
Cap. ij. *De Colonia Setina, ejusque cladibus* 8
Cap. iij. *De Templo Saturni Profugi Setinorum* 20
Cap. iv. *De Curia, & Ærario Setinorum* 28
Cap. v. *De Amphitheatro, & Foro Setinorum* 30
Cap. vi. *De Templo Herculis Setini* 35
Cap. vij. *De Templo Martis, Æde Apollinis, atq; Augusti. De Augustalium, necnon Fabrorum Collegio Coloniæ Setinæ* 49
Cap. viij. *De Agro Setino* 62
Cap. ix. *De Pometia seu Suessa Pometia, quæ etiam Aurunca, & Suessa Camena, Latinorum priscorum urbe, in agro Setino posita* 63
Cap. x. *De Pometinorum cladibus; deque Lucilia, & Pomptina familiis, Suessa Pometia oriundis* 79
Cap. xi. *De Apiolarum urbe in Pometino, & Setinorum agro posita, & de Antronia gente* 86
Cap. xij. *De Polusca, seu Polustia urbe Latinorum in agro Setino, & de Longula itidem Latinorum oppido* 89
Cap. xiij. *De Foro Appii in agro Setino* 93
Cap. xiv. *De Fossa Augusti, & Neronis in agro Pomptino, & Setinorum* 113
Cap. xv. *De Decennovio, seu Ufenti fluvio, Regeta, & Campis Barbaricis in Setinorum agro* 118
Cap. xvi. *De palude Pomptina Romanorum ætate, & de urbibus, quæ in ea antiquitùs numerabantur* 123
Cap. xvij. *De palude Pomptina sub imperio Summorum Pontificum* 134
Cap. xviij. *De Romanorum villis in agro Setino, & de villa Antoniæ gentis, ac vino Setino* 145

De vil-

Cap. xix. *De villis Augusti, Mœcenatis, Attici, Vitelliæ, Corneliæ, & aliarum Romanarum gentium in agro Setino* 156
Cap. xx. *De Appia via in Setino agro* 164
Cap. xxi. *De Familiis Setinis* 215
Cap. xxii. *De Annia gente Setina* 226
Cap. xxiij. *De aliis Familiis Setinis, & de C. Valerio Flacco poeta Setino* 234

LIBER TERTIUS.

Cap. i. *De Circejensibus, & Circejorum urbis situ* 241
Cap. ij. *De Circeii Conditoribus* 244
Cap. iij. *De Colonia Circejensi, ejusque cladibus* 248
Cap. iv. *De æde Circi sacra in Circejensi Colonia, necnon de ara Minervæ, poculo, & ara Ulyssis, & rostris ejusdem navium, quæ in eo templo servabantur* 252
Cap. v. *De tumulo Elpenoris, ejus remo, & prima myrto in Italiam delata, & circumcirca Elpenoris tumulum Circeiis sata* 256
Cap. vi. *De templo, fonte, lacu, & luco Feroniæ in Circejensi agro* 260
Cap. vij. *De Villis Circejensium* 270
Cap. viij. *De Portu Circejensi* 276

IMPRIMATUR,
Si videbitur Reverendiss. Patri Sac. Palatii Apostolici Magist.o.
D. de Zaulis Episc. Verulanas Vicesg.

Liber II. & III. *Latii profani, auctore Petro Marcellino Corradino*, &c. quos Reverendiss. Patri Magistro sacri Palatii Apostolici morem gerens, accurate perlegi, nihil continent, quod eorum editionem impedire possit. Imo quum sint multa & varia eruditione referti, unde Latina antiquitas explicatur atque illustratur, publica luce dignos censeo. Datum Romæ die 24. Aprilis 1705.

Justus Fontaninus.

IMPRIMATUR
Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum sacri Apostolici Palatii Magister.

VETUS

VETUS LATIUM PROFANUM

PETRI MARCELLINI CORRADINI

LIBER SECUNDUS

De Setinis.

CAPUT I.

De Setiæ origine, ejusque situ.

DE Setinis jam tandem loquar, quum Laurentum, & Alba, olim veteris Latii Regiæ Urbes à multis retro sæculis solo æquatæ, & excisæ jaceant, & Romanas res referre haud sit in animo, quoniam Urbs, quæ Servio Tullo imperante vix in fœdere Latino id assequi valuerat, ut rerum Latinarum caput esset, Livio lib. 1. teste, dein universi orbis tenens imperium tot laudes promeruerit, ut laudari nequicquam possit. Ergo à Setinis initium auspicor, ut patrio solo id retribuam, & extremam prisci Latii oram pertingens exponam Setinorum gesta, quorum Urbs vetustissima licet sæpenumero vastata, semper tamen resloruit.

Memoratur Setia Livio, Vellejo, Straboni, Plutarcho, Frontino, Ptolemæo, Lucilio, Martiali, Silio Italico, Statio, Juvenali, cæterisque Romanis Historicis, atque Poëtis; verumtamen Solinus, & Martianus Capella, qui Latii Urbium origines prodiderunt, Setiæ conditorem prætereunt. Ligorius in MSS. Otthobonianis voce *Gerarchi* putat Italos, aut Oenotrios, qui cum Italo Latii prisci primo Rege ad Latina littora appulsi sunt, eam Urbem, necnon Reate, Trebulam, Vestiolam, & Signiam, condidisse. At unde hæc Ligorius hauserit compertum non habeo. Casella de antiq. Latii Colon. pag. 63. Curetes vetustissimos Latii accolas ætate Saba-

tii, quem alii Saturnum dicunt, alii priſcum Latii Regem faciunt, Setiam, aliaſque Urbes circumquaque ædificaſſe narrat. Fidem tamen ejus Auctoris ſuſpectam habeo, quod is plerumque ſua excerpſerit ex Annio Viterbienſi, qui veteres res fœdavit, quique Setinorum meminit Curetum tempore.

Palàm itaque eſt neminem prodere Setinorum originem, quæ tamen vetuſtiſſima eſt, & Setini lapidibus inſcriptis palàm jactabant Herculem ſuum conditorem: quum enim initio ſæculi mox lapſi pars ædis Herculis Setini everteretur ad Collegium Societatis Jeſu ibidem ædificandum, effoſſus eſt cippus antiquus cum hac Epigraphe:

HERCVLI FVNDAT
COLONIAE

Hæc erat baſis ſimulacri Herculis in eadem æde poſiti, unde Setinos pro certo habuiſſe Herculem ſuam Urbem condidiſſe patet, cujus rei teſtimonium proferunt Ughellus Italiæ Sacræ tom. 1. de Terracinen. Epiſcopis loquens, pluresque recentiores: quo poſito id Oppidum conſtructum conſtat ſexaginta fere annis ante Trojæ caſum Fauno Aboriginum Rege Latio imperante, & anno quinto & quinquageſimo ante appulſum Æneæ in Latina littora, atque anno fere quingenteſimo priuſquam Roma conderetur, juxta computationem de qua Dionyſius lib. 1., & alii apud Rickium de primis Italiæ Colonis cap. 8. 10. & 11.

Nec eſt quod aliquis vanas Setinorum inſcriptiones aſſerat Herculis in Latium adventum fabuloſum exiſtimans, ut facit Cluverius lib. 4. Italiæ antiquæ; quoniam præter certiſſimum ipſorum Romanorum teſtimonium, multa evincunt Herculis peregrinationem: Ara Saturni ab Hercule erecta in Colle Capitolino, ubi quotannis ex ejuſdem inſtituto ſacrificabatur: Spelunca Caci, & prope hanc Ara Patri, ſeu Jovi Inventori ab Hercule poſita apud Portam Trigeminam, in qua ritu Græcanico ex ejuſdem Herculis inſtituto Dionyſii ætate ſacra fiebant: Ara Herculis ab Evandro erecta Carmentæ matris monitu, quæ à Romanis Ara Maxima appellata eſt, ubi decimæ Herculi offerebantur, juramenta, & pacta peragebantur, quæque

adhuc

adhuc Dionyſii temporibus ſupererat: Inſtitutio Sacerdotii in duabus familiis Potitiorum, & Pinariorum ab Hercule facta ad ſacra hujus Aræ attrectanda: Ædes Saturni, quam Romæ Hercules, aut certe ejus comites condidiſſe tradebant: familiæ ab Hercule in Latio propagatæ, ut erant Antonia, & Fabia, quas à puellis ab Hercule compreſſis originem ducere Latina gens jactabat, quin fama erat Latinum Regem Latii à Palanto Hyperborea virgine ab Hercule vitiata ortum: Poculum, quo ebibiſſe ferebant Herculem, quum cœnam ſacram apud aram ei ab Evandro ſacratam inſtitueret, quod poculum Romæ in Convivio Herculis quotannis exhibebant: Portus Herculeus inter Pompejos, & Neapolim ubi Herculis claſſis ſtativa habuiſſe dicebatur, immo Pompeii populi in Campania, qui auctorem Coloniæ eum Deum ajebant, ac ſe ita denominatos, quod eo loci is Deus victor ex Hiſpania pompam boum duxerat, quemadmodum narrant Dionyſius lib. 1., Solinus Polyhiſtor. cap. 2. & 8. ad principium, Varro lib. 4. de Lingua Latina, Auctor Origin. Gent. Rom., Diodorus lib. 5. cap. 2., Livius lib. 1., & alii ſupra lib. 1. cap. 4. & 27. adducti: quam rem teſtati ſunt Latini, & dein Romani, Italique univerſi, qui Herculi devotos ſeſe fecerunt, quod plures is in Latio, atque Italia condidiſſet Urbes, flumina avertiſſet campos inundantia, viaſq; in montibus aſcenſu difficillimis aperuiſſet, & his majora feciſſet pro Republica Latinorum, ut auctor eſt Dionyſius lib. 1. cui conſentiunt Cicero lib. 3. Offic. & de Natura Deorum lib. 3., Plinius lib. 35. cap. 11., Divus Auguſtinus de Civitate Dei lib. 18. cap. 8. Quamobrem nulla fere erat in Latio Urbs, quæ Herculis æde ſacra careret. Coræ enim Templum Herculis viſebatur, Setiæ quoque, Norbæ, & Ardeæ, Lanuvii itidem, Prænеſte, Velitris, Tiburi, & Ceninæ, uti diximus Lib. I. Cap. 27., & produnt Julius Obſequens de Prodig. pag. 46., Livius, Dionyſius, & alii. Horum omnium, & aliorum monumentorum Herculis per Italiam, Latiumque tranſitum oſtendentium, fama tanta fuit, ut ipſi Græci veteres illam teſtati ſint, & præcæteris Ariſtoteles, ſeu quiſquis eſt auctor de Mirab. Auſcult.: *Ferunt*, is inquit, *& paſſim etiam num in Italia Herculis monumenta extare juxta vias, quas ille tranſivit*, quæ ex imaginario nata fuiſſe principio nonniſi temere quis dixerit. Hiſce omnibus

conſonat Lapis vetuſtus ſuperius adductus, quo Setini in apertum protulerunt Herculem Setiam condidiſſe, eamque famam probavit Fulvia gens Romæ triumphalis, quæ jactabat Herculem ſibi ædem, & auctorem familiæ ſuæ Sacerdotem, qui in ea æde ſacra faceret, Setiæ conſtituiſſe, ut fuſius ſuo loco dicemus.

Sive igitur Setiam Hercules, aut Arcades, ſociive Herculis condiderint, conſtat vetuſtiſſimam eam fuiſſe Urbem, quam merito Romani Scriptores, tametſi in Volſcis ſitam, Latinorum priſcorum Oppidis accenſent, quod ab Albanis Regibus Colonia deducta, longe Romanam Urbem antecedat origine, uti ſcripſimus Lib.I. Cap.2.

Situm Urbis exhibent Lucilius, & Martialis, quorum ille Satyr. lib. 3. apud Aulum Gellium Noct. Atticar. lib.16. cap. 9. hoc carmine;

Illud opus durum, ut Setinum acceſſimus finem.

ſatis expreſſit Urbem ſitam ſupra aſperum montem; Martialis lib.13. Epigr.112. hæc habet:

Pendula Pomptinos quæ ſpectat Setia campos
Exigua vetulos mittit ab Urbe cados.

Setiam *Pendulam* appellat, quia in montium jugo, quod juxta Pomptinos campos protenditur ſita eſt, & ab extrema ora ejus tanquam ex crepidine quadam in ſubjectam planitiem reſpicit, quemadmodum Cluverius Ital.antiq. lib.3.pag.1022. explicat. At ego arbitror Martialem ſedem Urbis antiquæ aliter enunciaſſe, quandoquidem ex ruderibus, quæ ſuperſunt in planitie inter Saturni Templum, & diſſectum montem apparet portam Urbis, ubi via Setina ex Urbe Setiam ducens terminabatur fuiſſe, ubi nunc locus eſt, quem accolæ *Turrim Saturni* appellant. Ab hac porta Urbs vetuſta incipiebat, & protendebatur per totam planitiem illam vſque ad pontem, quem nunc *Vallis* vocitant, totumque illud ſpatium montis, in quo Civitas nunc poſita eſt, occupabat, & clivum. *Pendula* itaque erat, quoniam à ſummitate montis incipiens, deſinebat in planitiem quamdam ejuſdem montis ima valle circumdatam, quæ ſpectabat Pomptinas paludes, unde ædificia, quæ in jugo montis erant, tranſeuntibus per Pomptinum agrum, & per Appiam viam pendere videbantur.

Quare

Quare conſtat ſitum antiquæ Urbis eundem fuiſſe, ac eſt præſens, quamvis vetuſta Urbs amplior eſſet, & ad tria circiter millia paſſuum extenderetur, recens autem mille paſſuum ſpatium parumper excedat, poſitaque ſit in ſitu, quem Herculis Templum, ac Cereris, & Apollinis ædes occupabant. Aſcenſus hujus montis aſper eſt, & per viam in modum cochlidis ſtratam ad ſummitatem ejus pervenitur. Via, quemadmodum reliquiæ oſtendunt, ſaxis quadratis Appiæ ſimilibus, conſtructa erat, eamque ſtraverunt de ſua pecunia L. Aſconius Polio, & C. Pomponius Polio VIII. Viri viarum curandarum, uti indicat Lapis vetuſtus non longe ab initio viæ, qua aſcenditur poſitus.

A. ASCONIVS
POLIO
C. POMPONIVS
POLIO
VIII. VIRI C. VIA
DE SVA PEC. STRAV

Ligorius in MSS. Otthobonianis viam hanc in Appiam diverſiſſe memorat, & terminaſſe ad locum, ubi nunc eſt Turris, quam *Petratam* dicunt: at ſane hallucinatur, quum Pub. Victor de Urbis Romæ Regionibus titulo *De Viis*, vigintinovem vias ab Urbe Roma incipientes enumerans, Appiam, Latinam, & Setinam nominet, ut innueret Setinam aliam ab Appia fuiſſe: conſtat enim Setinam lapidibus quadratis ſtratam inter Latinam, & Appiam per lucum Ferentinæ ſub Albano monte, dein ſupra ſpeculum Dianæ deductam vſque ad Appiam, cujus rei teſtimonium proferunt ruinæ ejus viæ, quæ nunc etiam Setina dicitur in loco, quam *Fajolam* vulgo vocant. Hanc viam Appia antiquiorem fuiſſe ſuſpicor, quin Appiam per longum tramitem à tribus Tabernis ad Forum Appii vſque ſtratam in eodem ſitu per quem Setina deducta erat. Incidebat enim Setina in Appiam paulò ante Tres Tabernas, & per eam Populi Latini, qui Pometinum agrum colebant tranſibant ad Ferentinæ lucum, quum Jovis Latialis ferias, & concilia Latinæ gentis agerent.

rent. Panvinius in descriptione Urbis Romæ lib. 1. pag. 35. videtur innuere portam Urbis, à qua via hæc inchoabat Setinam dictam, quod plures viri docti probant: & pag. 52. notat viam laudatam inter Numiciam, & Appiam fuisse, unde vero id hauserit compertum non habeo.

Stephani Epitomator hæc habet: *Setia Oppidum Italiæ, gentilitium unde Setenum*. More scilicet prisci ævi, quo littera I sonabat uti E. Itaque vertendum erat *Setinum*, nam Oppidiani inde Livio, Plinio, Straboni, & cæteris sunt *Setini*. Appiano lib. 1. Bellor. Civil. *Setium neutro genere est*. Spectat Urbs ab Oriente montes Lepinos, in quorum jugo est Signia altera Latii prisci Civitas teste Columella lib. 10.

Quæ pariunt veteres cespoſo littore Cumæ,
Quæ Marrucini, quæ Signia monte Lepino.

Ab Occidente mare Tirrhenum, subjectamque habet totam oram ejus maris ab Ostia Cajetam, universosque campos Pometinos. Alluit radices Setini montis Ufens, ubi nascitur navigabilis, quem Vibius Sequester Terracinæ, alii autem Priverno proximum locant: oscitanter tamen, quum Ufens subtus Setinos montes scaturiat, & desinat in mare Terracinæ proximum. Hunc Fluvium Aufentem nuncupat Xylander Strabonis interpres lib. 5. pag. 233., alii rectius Ufentem ita dictum, quod Ufens dux Latinæ gentis in eo submersus esset, quamvis Virgilius lib. 7. & 8. Æneid. eum ducem Turno adversus Æneam suppetias misisse scribat:

Conjurat trepido Latium, sævitque juventus
Effera, ductores primi Messapus, & Ufens,
Contemptorque Deum Mezentius, undique cogunt
Auxilia . . . . . .

ubi Servius subdit id effictum à Poëta, qui nomina ducum Latinæ gentis à fluminibus magni nominis in Latio positis usurpare consuevit.

Supra montem Setinum fertilis est planities, seu vallis Urbi proxima, & Lepinis montibus adjacens, quæ spatio septem mille passuum protenditur. Per eam fluunt duo fontes, alter *Caritia* dicitur, alter *Aureus* ruri meo, quod vulgo vocant *le Fontanelle* ac-

com-

commodatus. Primus est abundans, usuique publico inservit, vetustissimus etiam, nam constat viam, quæ à porta Passibella ad hos publicos fontes ducit, instauraſſe L. Pomponium Annianum testimonio vetusti Cippi apud Gruterum pag. 1078., quem is Setiæ ad portam Passibellam locat.

L. POMPONIVS L. F
ANNIANVS
VIAM DE SVA PECVN
STERNENDAM CVRAVIT
HAEC EST VIA QVAE DVCIT AD FONTES

Secundus saluberrimus est, & antiquitus Thermarum publicarum usui addictus, sicuti indicant ruinæ, quæ supersunt rure meo, ubi subtus fontem effossos vidi lateres ejus generis, quod *Pentadoron* antiqui nominabant à mensura quatuor, & quinque palmorum, quibus lateribus passim Thermæ refertæ erant. Visitur & nunc in monte Urbi proximo supra fontes publicos os carceris antiqui, & imi. Hunc locum Setini vulgo *Oiso* appellant. Quum elapsis annis mulier quædam cum amasio virum suum interfeciſſet, atque in os prædictum cadaver præcipitasset, Judices jusserunt artifices quosdam in eum locum descendere, qui funibus religati illuc ad imum missi, cadaver invenerunt. Tunc notum fuit profunditatem bis mille palmorum, & ultra spatium pertingere & locum instar carceris esse, & per ejus partem aquarum colluviem decurrere, unde suspicantur ibi horridum fuisse carcerem Romanorum ætate, ejusque portam fuisse in planitie monti proxima, & per scalas manu factas in carcerem penetratum, atque os in summitate factum, ut fontes imaginem luminis videntes majori pœna premerentur, atque hinc putant eam aquam esse, quæ ab altera parte ejusdem montis fluit in Ufentem.

CAPUT

CAPUT II.

De Colonia Setina, ejusque cladibus.

VEllejus lib. 1. Setiam deductam Coloniam his verbis prodit: *Post septem annos, quam Galli Urbem ceperunt Sutrium deducta Colonia est, & post annum Setina, novemque interjectis annis Nepet.* quo tamen anno, & à quibus, id prorsus obscurum est. Sunt qui arbitrantur id contigisse anno post Romam conditam CCCLXXII. ut videre est apud Panvinium lib. 3. descript. Imper. Roman. pag. 333. Plerique anno integro serius id statuunt ut patet ex Kirchero in Veteri Latio lib. 4. par. 4. cap. 1. pag. 242. Alii anno CCCLXXI. ut Stephanus Vinandus Pighius Annal. tom. 1. lib. 3. ad annum CCCLXXI. pag. 236.

Hujus vero dissidii causam regerunt in incertitudinem anni, quo Roma capta est à Gallis, quam tamen captam esse anno ab V.C. CCCLXIII. Pighius ubi supra pag. 224. affirmat. Hinc tradentes Urbem Romanam eo anno captam, Setiam Coloniam deductam putant anno octavo post Urbem captam, nempe anno CCCLXXI. Non desunt qui hanc Urbem Coloniam bis deductam opinantur anno CCCLXXI. post Romam conditam ex Livio lib. 6. ubi hæc habet: *Ad quam militiam quo paratior plebs esset, quinque viros Pomptino agro dividendo, & trium viros Nepete Coloniæ deducendæ creaverunt*: ex quibus verbis Pighius existimat in divisione Pontini, seu Pometini agri hoc anno Setiam Coloniam deductam, iterumque anno V. C. CCCLXXV. quo juxta calculos Pighii lib. 3. pag. 240. & 241. Tribuni militares Consulari potestate creati sunt P. Manlius, C. Manlius, L. Julius, C. Sextilius, M. Albinius, & L. Antistius. Hoc quippe anno Livius iterum Setinam Coloniam deductam scribit his verbis: *Eodem anno etiam ipsis quærentibus penuriam hominum, novi Coloni adscripti*. Hanc lectionem mendosam esse omnes Livii scholiastes suspicantur, ac nomen Coloniæ omissum; quamobrem Henricus Glareanus de Veliternis

Livium

Livium loquutum putat. At Carolus Sigonius in lib.6. Livii, Setinis ea verba applicat: *Desideratur*, inquit, *Coloniæ nomen, nam de Prænestinis ipsis rebellantibus intelligi non potest, nec de Satrico quidem, & Velitris, neque enim syllabas habent, quæ erroris causam Librario tribuere potuerint. Itaque ego sine dubio legendum puto: eodem anno Setiam ipsis quærentibus; Setiæ enim Coloniæ post Satricum deductæ meminit Vellejus lib.1., & Livius lib.7. extremo Norbam, & Setiam finitimas Colonias vocat, quum tamen quo anno deducta Setia sit nusquam apud eum extet, quod autem novi Coloni dicat de iis, qui tunc primum deducti sunt, non est mirum, etenim sic loquutus est supra: Norbæ in montes novam Coloniam miserunt, & Pædianus in Pisonem: Pompejus non novis incolis eas constituit, sed veteribus incolis manentibus jus dedit Latii. Item Placentiam novi Coloni deducti sunt.*

Hactenus Sigonius, cujus lectio non consentit computationi factæ per Vellejum lib.1., ita namque Setia deducta fuisset Colonia, non octo annos post quam Urbs à Gallis capta est, sed post duodecim juxta Pighium, vel post undecim secundum Panvinium. Itaque si Livius verba fecit de Setina Colonia, palàm est eum prodidisse Setiam eo anno iterum Coloniam deductam ob penuriam Colonorum, qui agrum Setinum in Pometino situm colere haud poterant; id enim familiare fuit Romanis eodem Livio pluribus locis, & præcipue lib.2. teste, ubi ait: *Et Velitris auxere numerum Colonorum Romani.*

Cæterum Livius lib 26.memorans Annibalis transitum per Italiam Latiumque, Setiam municipium nuncupat: *Ipse*, ait, (Q. Fulvius scilicet) *per Appiæ municipia, quæque propter eam viam sunt, Setiam, Soram, Lavinium, Lanuvium præmisit, ut commeatus paratos, & in Urbibus haberent, & ex agris deviis in viam perferrent, præsidiaque in Urbes contraherent, ut sua cuiq; Respub. in manu esset.* At quum infra idem Livius hanc Urbem Coloniam appellet, suspicor abusive eam municipium vocasse, nam uti viri docti notant, sepænumero Coloniæ Municipia dicebantur, licet revera talia haud essent.

Sed an Setia Colonia Romana, & Romanorum Civium, an

vero Latina esset, dissidium non leve est inter Scriptores. Quippe Panvinius vigesimam Coloniam à Populo Romano deductam Setiam facit, & quidem Latinam, quod arguit ex Livio lib. 37., ubi enumerans duodecim Colonias Populi Romani, quæ secundo bello Punico milites, & pecuniam dare Consulibus detrectaverunt: *Eæ*, ait, *fuere Ardea, Nepete, Sutrium, Circeii, Alba, Carseoli, Suessa, Sora, Setia, Cales, Narnia, Interamne*, & lib. 39. hæc subdit: *Erectis expectatione Patribus subjecerunt: Colonias Latinas duodecim, quæ Q. Fabio, & Q. Fulvio Cos. abnuissent milites dare, eas annum jam ferme sextum vacationem militiæ quasi honoris, & beneficii causa habere, quum interim boni, obedientesque socii pro fide, atque obsequio Imperii Romani continuis omnium annorum delectibus exausti essent. Sub hanc vocem non memoria magis Patribus renovata rei jam obliteratæ, quam ira irritata est. Itaque nihil prius referre Consules passi, decreverunt ut Consules, Magistratus, denosque Principes Nepete, Sutrio, Ardea, Calibus, Alba, Carseolis, Sora, Suessa, Setia, Circeiis, Narnia, Interamna Romam excirent: iis imperarent, quantum quæque earum Coloniarum militum plurimum dedisset populo Romano, ex quo hostes in Italia essent, duplicatum ejus summæ numerum peditum daret, & Equites centenos vicenos, Equitesque quam locupletissimi legerentur, mitterenturque ubicumque extra Italiam supplemento opus esset, si qui ex iis recusarent, retineri ejus Coloniæ Magistratus, Legatosque placere, neque si postularent Senatum dari priusquam imperata fecissent. Stipendium præterea iis Coloniis tria millia æris asses singulos imperari, exigique quotannis: censumque in iis Coloniis agi ex formula à Romanis Censoribus data, dari autem placere eandem quam Populo Romano, deferrique Romam ab juratis Censoribus Coloniarum priusquam Magistratu abirent*: Dein subjicit accitos Romam fuisse Magistratus Coloniarum prædictarum, primoresque, & Legatos retentos Romæ donec imperata fecissent.

Hinc Panvinius verba faciens de Ardea Colonia, arguit omnes eas duodecim Colonias Latinas fuisse, quod tales Livius appellet, & acerbiore delectu, censu, tributoque stipendii nomine indicto punitas referat, quod eæ Latinæ non autem Romanæ essent Colo-

niæ.

niæ. Verumtamen ex ipso Livio colligitur Setiam Romanam fuisse Coloniam; ille enim in fine lib.7. ita scribit: *Privernates etiam, Norbam, atque Setiam finitimas Colonias Romanas incursione subita depopulati sunt*: & lib. 8. ad principium post quam narravit Norbanorum, atque Setinorum nuncios defectionis Privernatum cum querimoniis acceptæ cladis Romam venisse, defectionem Latinorum omnium enuncians, sic subdit: *Romani, etsi defectio sociorum, nominisque Latini haud dubia erat, tamen tanquam de Samnitibus, non de se curam agerent, decem Principes Latinorum Romam evocarunt, quibus imperarent, quæ vellent. Prætores tum duos Latini habebant L. Annium Setinum, & L. Numisium Circejensem, ambos ex Coloniis Romanis, per quos præter Signiam, Velitrasque, & ipsas Colonias Romanas, Volsci etiam exciti ad arma erant, eos nominatim evocari placuit.*

Ergo ex his patet Setiam, Circejosque Colonias Romanas, non Latinas fuisse, quod clarius à Livio asseri non poterat: immo quemadmodum idem Panvinius Norbam, atque Velitras Latinas Colonias non facit, sed Romanas, ita & Setiam Romanam Coloniam affirmare debuisset, quum Livius Velitras, Norbamque Colonias Romanas, sicuti Setiam dilucide prodat; quis putet Romanas Colonias ab illis Civium Romanorum differre, nam Setia Romana Colonia dici haud poterat, si Civium Romanorum non fuisset sicuti Rosinus antiq. Roman. lib. 10. cap. 22. animadvertit, & viri docti probant, maximè quod Livius locis, quibus de Coloniæ statu nil affirmare proponit, eas Romanorum Colonias dicit. Romanæ enim Coloniæ erant Romæ effigies, seu simulacra, quum Coloni præter publica Civitatis Romanæ, omnia jura haberent, quæ Cives Romani obtinebant cum suffragii potestate, quemadmodum tradunt Aulus Gellius Noct. Atticar. lib. 12. cap. 13., Sigonius de Antiq. Jur. Ital. lib. 2. cap. 2. & 7. Panvinius loco adducto pag. 326. Rosinus, & alii. Latinæ vero eæ erant quibus jus Latii, seu Latinitatis datum erat, quod sane jus tanti fecerunt Romani, ut nobilissimis Urbibus illud post enixas preces haud diffiderint tradere. Quandoquidem Placentiæ, Bononiæ, Cremonæ, Aquilejæ, aliisque similibus Civitatibus magni nominis jus Latii tantummodo

fuisse concessum probat Livius lib.40., aliisque locis adductis apud Panvinium, & Alexandrum Genial. lib. 4. cap. 10., qui tamen refert Placentiam fuisse Romanam Coloniam, Equitesque solos habuisse Latinos, quod ejus Scholiastes ex Liuio, & Plutarcho confirmat : immo referunt Neronem nationibus Alpium maritimis jus Latii concessisse ex Tacito lib. 15., Vespasianum itidem universæ Hispaniæ idem jus tribuisse teste Plinio lib. 3. cap. 3.

Istud quidem jus in eo consistebat, ut suffragiorum potestatem Consulibus Romanis permittentibus Romæ haberent, & si in Civitate Latii jure donata Magistratum gessissent, Cives Romani ut fierent, quemadmodum qui stirpem ex se domi reliquissent, ac Romam ad habitandum venissent ex Cicerone pro Cecina, & pro Balbo Livio & aliis apud Panvinium lib. 3. pag. 326. & 321.

His positis nutat Panvinii sententia, quem fefellit Livius duodecim Colonias, de quibus verba fecimus, Latinas enuncians, fortasse quod fere omnes, paucis exceptis, Latinæ essent. Argumentum vero Panvinii leve est, nam ideo Senatus Romanus indictione tributi, census, & stipendii eas Colonias punivit, quod illæ Consulibus parere, & milites, ac stipendia dare detrectassent. Porro ex verbis Livii patuit dignitas Coloniarum Romanarum, Latinarumque: in iis quippe erant Censores, Ædiles, ceterique Magistratus, qui Romanam administrabant Rempublicam, quin honoris gratia jus erat Coloniis Legatos ad Populum Romanum mittere, Romæque retinere, quibus petentibus dabatur Senatus.

Cui autem Tribui adscripti Setini essent, pauci recte norunt. Ligorius in MSS. Otthobonianis voce *Tribu Setina*, testatur se hunc Lapidem effossum in via, quæ Setiam ducebat vidisse :

SEX. SALLIO SEX. F. SETINA
AMATO MIL. LEGION
XIV. GEMIN. MARTIAE V
Q. MIL. ANN. III. VIX. ANN: XXV
M. SALLIVS. M. F. SETINA CAPITO
TESSERARIVS LEGION. M. V
FECIT SIBI ET HER
PRAELEGATIS SALLIAE
ET L. SALLIO IVNIORI ET M
SALLIO PRIMITIVO NEP.

Saxum probat Tribum Setinam fuiſſe, Setinoſque ei adſcriptos, quod mirum eſt, quum Panvinius, Roſinus, & alii hujus Tribus non meminerint. Neque unam ex trigintaquinque Tribubus hanc fuiſſe arbitror, aut Setinos in deductione Coloniæ in ea cenſitos; ſuſpicor enim Pomptinæ ſeu verius Pometinæ illos fuiſſe addictos poſtquam Quinque viri Pometinum agrum diviſerant, uti diximus, & ſub Conſulatu C. Fabii Ambuſti, & C. Plautii Proculi anno V. C. CCCXVI. M. Fabius Cenſor cum Collega Pometinam Tribum addiderat, in quam qui agrum Pometinum ſortiti erant conjecti ſunt ex Livio, & Panvinio deſcript. Civit. Rom. lib. 2. pag. 247. Quoniam vero Latini rebellaverant, & cum L. Annio Setino eorum duce in Campania ad Veſerim victi, iterumque L. Camillo, & C. Mænio Coſs. anno ab V. C. CDXV. in deditionem recepti, in pœnam multati ſunt agris, ademptaque iis connubia, commercia, & concilia, quin Civitas Romana iis Populis, quibus ea data erat, ſublata paucis exceptis, quibus Civitas ſervata eſt, vel conceſſa, quemadmodum ex Livio lib. 8., Vellejo, Plinio, L. Floro, Eutropio, & aliis notavimus Lib. I. Lat. Profan. Cap. 8.. Hinc ni fallor facile eſt Setinos Civitatem tunc perdidiſſe, eamque bello Italico L. Julii Cæſaris lege, de qua dictum eſt Lib. I. Cap. 10., recuperaſſe, quo tempore, ſicuti teſtimonio Panvinii lib. 2. pag. 257. additæ ſunt plures Tribus incertæ, quarum mentio nulla eſt apud Scriptores, nempe Papia, Cluentia, ſeu Cluvia, Dumia, Minucia, Camilla, & ſimiles, quas fuiſſe memorant

morant priſci Cippi apud eundem Panvinium ubi ſupra, ita & Setinam additam ſuſpicor, ſi tamen Ligoriano Lapidi fides danda eſt.

Frontinus de Coloniis juxta lectionem Panvinii Setiæ ita meminit; *Setia muro ducta Colonia, Triumvirali Lege eſt munita, iter Populo debetur P. XXXV., Ager ejus in abſoluto ex occupatione à militibus tenebatur.* Quare arbitror iterum fuiſſe hanc Urbem Coloniam deductam, quo vero tempore non liquet, idque colligitur ex verbis Frontini mox relatis, quandoquidem ager Setinus à militibus in abſoluto ex occupatione tenebatur, quod indicat militarem Coloniam eam factam teſte Vellejo lib. 1., qui duo Coloniarum genera conſtituit, unum earum, quæ Senatus juſſu deductæ ſunt, & de quibus jam diximus quod ipſæ fuerint aut Romanæ, aut Latinæ: alterum earum, quæ militares dicebantur, quæque idcirco deduci ſolebant, ut veterani milites præliorum diuturnitate feſſi, præmium aliquod aliquando caperent ſuorum laborum, quod poſt Sullana arma maxime prævaluit: quin fertur Sullam agros militibus ſuis adſignaſſe, & Colonias militares plures Urbes deduxiſſe, quemadmodum Nolam, Bovillas, Sueſſulam, Pompejos, Capuam, quarum ager militibus Sullanis conceſſus dicitur eodem Frontino L. Floro lib. 77., Cicerone pro Sulla, & Appiano lib. 1. Bellor. Civilium teſtibus, quod ſequutos Imperatores feciſſe produnt, Cæſarem præſertim, Triumviros Lepidum, Antonium, & Octavium, Neronem, & alios; nam memoriæ proditum eſt Triumviros jam dictos Aquinum Coloniam deduxiſſe, ejuſque agros militibus veteranis adſignaſſe. Nero quoque Beneventum, & Antium militares Colonias deduxit ut auctor eſt Frontinus de Coloniis, qui itidem plures refert Colonias à Triumviris deductas; at quum is addat Triumvirali lege Setiam deductam, conjicio ab Antonio, Lepido, & Octavio Cæſare Triumviris id factum, nam M. Antonius Triumvir, cujus factionis erant Setini, ut infra dicam, videns fortaſſe eorum agrum à Sullanis militibus in abſoluto occupatum, (Sulla namque Setiam factionis Marianæ diripuerat, everteratque ex Appiano Bellor. Civil. lib. 1.) iterum eorum Urbem Coloniam deduci curavit, agrumque Colonis reſtituit, quapropter Frontinus ætate, qua ſcripſit, non retulit tunc agrum à militibus tentum, ſed illis verbis: *à militibus tenebatur*, innuit

innuit tunc & Triumvirali lege eum agrum haud fuisse à militibus occupatum, quæ notanda sunt, quum antiquorum nemo id diserte referat, atque ex Frontino, & historia Romana satis arguatur.

Itaque ex his intelligi videtur quater hanc Urbem Coloniam deductam, primum anno post Urbem conditam CCCLXXI. dein anno CCCLXXV. ob penuriam Colonorum, postmodum à Sulla, & demum à Triumviris M. Antonio, Lepido, & Octavio Cæsare, immo quinquies, ut notat Sponius in Miscellaneis sect. 5. pag. 169. Lapidem hunc referens.

M. NOMEICIVS M. F. PALATIN
NOMESIANVS
MAGISTER AVGVSTALIS COLONIAE SETINAE
SAL. MARTIALIS CAPVLATVS
IIII. VIR. VIAR. CVRAND
V.S. FECIT SIBI ET SVIS LIB. ET POST

Quem sic legit: *M. Nomeicius &c. Magister Augustalis Coloniæ Setinæ Saloninæ Martialis*, putatque eam deductam à Valeriano Imperatore, quem Saloninum dixerunt exemplo Salonæ in Dalmatia, quæ in vetusto Cippo Julia Salona Martia dicitur, cui consentiunt plures inscriptiones, in quibus Urbes illustres, quas Imperatores iterum Colonias deduxerunt, à nominibus eorum dictæ sunt. Sic cæteris prætermissis, Terracina, cujus Urbem Antoninus Pius Coloniam deduxit, & in ea portum condidit, Pia noncupatur in prisco saxo apud Ligorium MSS. Otthobonianis verbo *Terracina*.

C. IVLIVS C. F. CORNELIANVS
ET M. GAVIVS M. F. CENTINVS
II. VIR. MAGIST. COLONIAE PIAE TERRACINAE

At ego puto Sponium in explicando lapide errasse, & illas notas lapidis, quas aliter legit, ita esse legendas: *Salius Martialis Capulatus*, quibus lapis indicat Numicium Magistrum Augustalem, Salium Martialem Capulatum, & IIII. Virum Viarum curandarum

Colo-

Coloniæ Setinæ fuiſſe, uti legit Fabrettus Inſcription. Antiq. cap. 2. pag. 115. quod vero Sacerdotii Saliaris genus Numicius haberet, dicam infra quum ædem Martis Setiæ conditam memorabo.

Hæc ſatis ſint ad illuſtrandam Coloniam Setinam. Nunc de ejus varia fortuna aliquid delibare juvet. Perhibent Cneum Marcium Coriolanum Setiam, quæ erat Romanis fœderata diripuiſſe, ut auctor eſt Dionyſius lib. 8.: *Mox porrò*, inquit, *contra Satricanos duxit exercitum, & potitus hoc quoque oppido, prædaque cum parte copiarum Ecetram miſſa, ipſe cum reliquo exercitu Setiam petiit, & hac etiam capta, direptaque in Poluſcanum agrum irrupit*. Lapus, & Glareanus legunt *Cotiam*, Gelenius, & alii *Setiam*, uti caſtigati Codices exhibent, & ordo, quem Dionyſius ibi ſervat demonſtrat, nam nominat ſeptem Latinorum priſcorum Oppida quæ Setiæ finitima fuiſſe ſuo loco dicemus. Hæc prima Setinorum clades: dein anno ab V.C. CDXI. juxta Faſtos Capitolinos apud Pighium, licet biennio ſerius id ſtatuat Glareanus, ultimo ejus anni menſe Privernates rebellantes juncti Volſcis, Samnitibuſque hanc Coloniam, atque Norbam incurſione ſubita depopulati ſunt, quemadmodum ſuperius ex Livio lib. 7. ad finem dictum eſt. Nuncii hujus Setinorum, ac Norbanorum cladis, & defectionis Privernatum Romam venerunt initio anni ſequentis CDXII. quibus renunciantibus Volſcorum exercitum duce Antiati populo ad Satricum conſediſſe, C. Plautio Hypſeo tunc Conſuli cum L. Æmilio Mamercino, aliis Mamerco, utrumque bellum ſorte evenit. Hic prius ad Privernum profectus extemplo aciem conflixit, & haud magno certamine devictis hoſtibus Oppidum cæpit, reddiditque ſtatim Privernatibus præſidio valido impoſito, ademptiſque accolis duabus agri partibus ex Livio lib. 8. Quoniam vero iterum ii populi à Romanis defecerant anno V.C. CDXXIV., quo idem L. Æmilius Mamercus Conſulatum tenebat cum conſorte C. Plautio Deciano, fratre fortaſſe ſuperioris Plautii, Privernum itidem oppugnatum eſt, captumque, & muri ex S.C. dejecti, Senatus inde abductus, eadem lege, qua Veliterni trans Tiberim habitare juſſus, quamvis dein Senatus Romanus animoſo, & libero Legati cujuſdam Privernatis reſponſo motus, non ſolum venia, ſed etiam Civitate eos Populos dignos judicarit Livio teſte. De Privernatibus itaque eo anno triumpharunt.

L. AE-

L. AEMILIVS L.F.L.N. MAMERCINVS ANN. CDXXIV. PRIVERNAS COS. II. DE PRIVERNATIBVS KAL. MART

C. PLAVTIVS P.F.P.N. DECIANVS COS. ANN. CDXXIV. DE PRIVERNATIBVS KAL. MART

uti exhibent Columnæ triumphales, refertque Pighius tom. 1. Annal. pag. 337., qui addit hinc argui utrumque Consulem Privernum oppugnasse, & occasione ejus victoriæ cognomen hujus Æmilii *Privernas* originem habuisse, quamquam Livius soli Plautio victoriam attribuat.

Anno post Romam conditam DLIV. quem alii faciunt DLVI. quum Consules essent L. Quintius Flaminius, & Sex. Ælius Pætus, hanc Coloniam occupare tentarunt Servi Carthaginensium. Hanc rem sic Livius lib. 34. narrat: *Obsides Carthaginensium Setiæ custodiebantur, cum iis, ut Principum liberis magna vis servorum erat, augebant eorum numerum, ut ab recenti Africo bello, & ab ipsis Setinis captiva aliquot nationis ejus ex præda empta mancipia. Cum conjurationem fecissent missis ex eo numero, qui in Setino agro, deinde circa Norbam, & Circejos servitia sollicitarent, satis jam omnibus præparatis ludis, qui Setiæ propediem futuri erant, spectaculo intentum populum aggredi statuerant: Setia per cædem, & repentinum tumultum capta, Norbam, & Circejos occupare; hujus rei tam fœdæ indicium ad L. Cornelium Lentulum Prætorem Urbis delatum est. Servi duo ante lucem ad eum venerunt, atque ordine omnia, quæ acta, futuraque erant exposuerunt, quibus domi custodiri jussis, Prætor Senatu vocato, edoctaque quæ indices afferrent proficisci ad eam conjurationem quærendam, atque opprimendam jussus cum quinque Legatis profectus, obvios in agris sacramento rogatos arma capere, & sequi cogebat. Hoc tumultuario delectu duobus millibus ferme hominibus armatis, Setiam, omnibus quo pergeret ignaris venit, ibi raptim Principibus conjurationis compre-*

 hensis,

henſis, fuga ſervorum ex Oppido facta eſt: dimiſſi deinde per agros qui veſtigarent. Dein prodit Prætorem Præneſtem profectum, quingentos ferre ſervos, qui in eadem noxa erant pœnæ dediſſe, edixiſſe etiam omnibus Latinorum Oppidis, ut & obſides in privato ſervarentur, neque in publicum prodire poſſent, & captivi ne minus decem pondo compedibus vincti, in nulla alia, quam in carceris publici cuſtodia eſſent. Hinc colligitur obſides in iis Coloniis manſiſſe vſque ad annum V. C. DLXXIII. quo Conſulatum gerebant P. Cornelius Lentulus Cethegus, & M. Bœbius Pamphilus, hoc enim anno memorat Livius lib.40. Carthaginenſibus centum obſides redditos.

Appianus lib. 1. Bellor. Civil. Setiam factionis Marianæ à Sulla captam prodit hoc modo. *Occupata à Sylla Setia, Marius eo copias admovit, deinde paulatim retrocedens, ubi ad Sacriportum pervenit, explicuit aciem: pugnatum eſt magnis animis.* Aliquot codices Setiæ direptionis mentionem nullam faciunt, at meliores verba quæ retulimus habent, quod ex Græcis exemplaribus hauſiſſe ſe teſtatur Suareſius Præneſt. antiq. lib. 1. cap. 29. pag. 96., aliique viri docti conſentiunt, quoniam tota ora Latii maritima Præneſtem vſque, & ſic Setia, Norba, Circeii, Antium, Aricia, Lavinium, Lanuvium, Cora, Velitræ, & cætera Oppida circumquaque, quæ Marius occupaverat, aut per Cajum Norbanum Norba oriundum in ſocietatem adſciverat, Marii filii partes tutabantur teſtimonio Appiani lib. 1., unde factum eſt florentiſſimas Colonias à Sullanis militibus everſas, eorumque agros occupatos, uti ſuperius dictum eſt.

Triumvirorum tempore Setinos L. Antonium aduerſus Cæſarem juviſſe palàm eſt. Hujus rei ita meminit idem Appianus lib. 5. *Duæ Lucii Legiones apud Albam diſſidentes erectis ducibus ad defectionem inclinarunt, feſtinantibus ad has Cæſare, & Lucio, præveniens Lucius, iterum pecuniarum oblationibus, pollicitationibuſque lenivit. Furnio deinde exercitum alium ad Lucium ducente, Cæſar Furnium aggreſſus, accurrentis ad collem exercitus poſtrema invaſit, & Furnium in tumulum quendam compulit, qui proxima nocte abiit in Urbem ſuæ factionis Setiam, quem Cæſar proſequi noluit metuens inſidias:* In alio codice Candidi ſic legitur:

gitur: *Cum nocte ad Setiam Urbem accessisset, quæ earundem partium dicebatur esse, Cæsar insidias veritus, minime nocte insequutus est, orta luce, Setiam simul, & Firmi* (Furnii scilicet) *exercitum obsedit*: Quis tamen hujus obsidionis fuerit exitus non liquet, quamquam ex relatis ab eodem Scriptore, à Cæsarianis Setiam captam fuisse arguatur. Una ex duabus Legionibus, quæ Setiam cum Furnio petiit erat Martia, quæ Albæ consedebat, & Antonii partes tutabatur, dein eo relicto cum universis Civibus Octavio Cæsari adhæsit testimonio Ciceronis Philip. 3.. Suspicor autem Setinos factionis Antonii fuisse ob Fulviam, & ipsam Antoniam gentem; Fulvia enim M. Antonii uxor, & Cæsaris socrus cum L. Antonio contra Cæsarem societatem iniverat, & occupata Prænestе, omnes suæ factionis Urbes ad bellum adversus Cæsarem impulit: accinxit enim se gladio, tesseramque militibus dedit, adeoque viriliter pugnavit, ut Octavius Senatores ad eam, & Lucium ablegarit, qui de controversia cognoscerent. Hi cum veteranis coacti, Lucio, & Fulviæ per Legatos diem dixerunt, ad quam disceptandæ rei causa Gabios venirent, & quum Fulvia nollet, factum est veteranos omnes contra eam, & Lucium bellum suscepisse, quod ex Dione lib. 48. atque Appiano lib. 5. intelligitur. Quamobrem Setini, qui Antoniæ, & Fulviæ gentis erant clientes, quod Antonia Rus vetustissimum, & plura prædia Setiæ possideret, ac Fulvia ab eorum Colonia originem duceret, ut alibi dicam, utriusque gentis partes substinuerunt vsque ad Coloniæ excidium.

Cæterum sunt qui prodant Albæ Silvii Albanorum Regis ætate, Tuscos Elbio Vero duce, seu Equitum magistro Setiam diripuisse, dein Tiberino regnante Occum Pomarium itidem Tuscorum Principem eam Urbem ferro, igneque vastasse: quin eandem iterum ab Albanis conditam, quum Agrippa Silvius Latinorum regnum teneret, invasisse, quemadmodum Inghiramius Etruscar. Antiquit. lib. 1. pag. 40. 41. & 55., nec non pag. 78. 58. & 59., atque Annius Viterbiensis perhibent, quorum tamen somnia retulisse sufficiat.

CAPUT III.

De Templo Saturni Profugi Setinorum.

POst luſtratam Setinorum Urbem, nunc ædes ſacras memorare juvet. Inter quas vetuſtiſſima eſt Saturni Profugi, cujus veſtigia ſuperſunt prope mænia Setiæ in hortis Tirlettorum, ubi antiqua Urbs ſita erat. Quanta fuerit, facile intelligitur ex ruderibus Templi cujus typum exhibemus. Lapis antiquus, qui adhuc obvius eſt cum epigraphe:

SATVRNO PROFVGO
SACRVM

ſatis exponit id delubrum Saturno Profugo à Setinis dicatum. Nullam ſane in toto Latio, aut Romæ legimus Saturno Profugo ædem ſacratam præter iſtam: quod factum eſſe putamus, ut palàm facerent Latini memoriam fugæ, & latebræ Saturni ibi maxime recolendam, ubi is credebatur primum delituiſſe. His conſentit ſententia Gonzagæ Præſulis Mantuani, qui in libro de Origine Religionis Franciſcanæ, hæc habet: *Ad duo milliaria à Caſtro Baſſani, ſive Baſſeani eſt locus, ubi magnus Saturnus, qui & Abirides Cretenſium Rex Jovis filii perſecutionem fugiens delituiſſe dicitur, à quo & Latium, quod in ea Provincia latuerat appellatum evaſit, in collis cujuſdam amœni clivo quinque millia paſſuum à Sirmineti Oppido diſtans*: Hinc conſtat eruditiſſimum Præſulem dilucide ſitum noſtri Templi deſcripſiſſe, diſtant enim ejus rudera quinque millibus paſſibus à Sirmineto, & duobus circiter à Caſtro Baſſiani, in amœno clivo montis, ubi adhuc admiranda vetuſtiſſimi Templi moles, & inſcriptio ſupra laudata probant Saturno Profugo eo loci divinos datos honores, unde patet Gonzagam ex fama vetuſtiſſima, & ex prædicto Cippo eruditum prodere, Latinos putaſſe in eo colle primum Saturnum latuiſſe, nomenque Latium ab ejus latebra accepiſſe.

Neque



Neque ideo falsa Setinorum, & Latinorum omnium opinio, quod Saturni in Latium appulsus fabularis fuerit, & Latini Stercen Pici eorum Regis patrem, quem ferunt Janum in partem Latini agri recepisse, sub nomine Saturni coluerint, quemadmodum ex Divo Augustino de Civit. Dei lib. 18. cap. 15. probat Rickius de Antiq. Ital. Colon. dissert. 5. ad finem, seu potius Evandro sub cognomento Saturni divinos constituerint honores, uti arrisit Vossio de Idololatr. lib. 1. cap. 12.. Quandoquidem Rickium, & Vossium divinasse satis probatum est lib. 1. cap. 3. & cap. 24.. Immo ut horum lapsum evincamus, operæ pretium est testimonia omnium fere antiquorum proferre, ut appareat quanta alacritate prædicti doctissimi viri antiquas res perturbaverint; quippe adeo constans Italorum fama fuit, Saturnum Jovis filii iram fugientem in Latinas oras appulsum à Jano hospitio exceptum Latio nomen indidisse, ut Romanorum Scriptorum nemo id in dubium revocarit, nam præter testimonium Livii lib. 1., Dionysii lib. 1. & 2., qui produnt Templa, & Delubra ob hanc rem ei Deo in toto undique Latio erecta, Sacerdotes adsignatos, & Flamines, qui Saturniis carminibus ejus laudes concelebrarent, de quibus lib. 1. c. 17. & 24. verba fecimus, Solinus Polyhistor. cap. 2. memorat Herculis comites in honorem Saturni, quem cultorem Regionis illius agnoverant extitisse, ædem, & ærarium condidisse in ea parte Latii, ubi Roma fuit: quin montem Capitolinum Saturnium, & portam antiqui Oppidi ab Arcadibus ibi extructi Saturniam, immo parvam Urbem eodem nomine appellasse, quod & narrat cap. 8.: *Nam quis ignorat vel dictum, vel conditum à Jano Janiculum, à Saturno Latium, atque Saturniam.* Consentit Varro lib. 4. de Ling. Latina ubi ait: *Tarpejum montem Saturnium appellatum prodiderunt, & ab ejus latebra Saturniam terram, ut etiam Ennius appellat. Antiquum Oppidum in hoc fuisse Saturnium scribitur. Ejus vestigia etiam nunc manent tria: quod Saturni fanum in faucibus: quod Saturnia porta, quam nunc vocant Padanam: quod post ædem Saturni, in ædificiorum legibus parietes postici muri sunt scripti*: Et Herodianus lib. 1. Histor. in Commod. cap. 18. & lib. 2.. *Anno*, inquit *ineunte diem Romani festum agunt ad vetustissimum Italiæ Deum referentes, cujus etiam Saturnum ipsum,*

cum

cum à Jove filio regno pulsus in terram descendisset, fuisse hospitem prædicant, veritumque filii dominatum, absconditum apud eum latuisse, ubi nomen illi loco impositum volunt, & Latium appellatum fuisse, vocabulo è græco sermone in patrium translato. Hinc dubitari nequit satis probatam famam Romanorum, & Latinorum, & constantem opinionem ejus gentis, quod Saturnus Latii accola in ea regione delituisset, & ab ejus latebra Latium nomen acceperit.

Utque hujusce rei argumenta etiam à Christianis Scriptoribus accersam, Tertullianus vir in rebus Romanorum peritissimus, Apologetici cap. 10. ita scribit: *Saturnum quantum litteræ docent, neque Diodorus Græcus, atque Thallus, neque Cassius Severus, aut Cornelius Nepos, neque ullus Commentator ejuscemodi antiquitatum, aliud quam hominem promulgaverunt. Si quæras rerum argumenta, nusquam invenio fideliora, quam apud ipsam Italiam, in qua Saturnus post multas expeditiones, postque Attica hospitia consedit exceptus à Jano, vel Jane, ut Salii volunt. Mons quem incoluerat Saturnius dictus; Civitas quam depalaverat Saturnia usque nunc est. Tota denique Italia post Oenotriam Saturnia cognominabatur. Ab ipso primum Tabulæ, & imagine signatus Nummus, & inde Ærario præsidet.* Eadem habet Minucius in Octavio, Arnobius contra gentes lib. 4. Lactantius de Falsi. Religion. lib. 1. cap. 11.

Idem passim regerunt Poëtæ ut Virgilius lib. 8. Æneid., qui Evandrum loca Urbis Romæ Æneæ ostendentem inducens, ita adfatum fingit:

Hæc duo præterea disjectis Oppida muris
Relliquias, veterumque vides monimenta Virorum
Hanc Janus Pater, hanc Saturnus condidit arcem
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

quæ Ovidius 1. Fastor. confirmat hisce verbis.

Hac ego Saturnum memini tellure receptum
Cœlitibus regnis à Jove pulsus erat.
Inde diù genti mansit Saturnia tellus;
Dicta quoque est Latium terra latente Deo;

& iterum lib. 6.

Est

Eſt aliquid nupſiſſe Jovi, Jovis eſſe ſororem
Fratre magis dubito glorier, an ne viro?
Si genius aſpicitur, Saturnum prima parentem
Feci: Saturni ſors ego prima fui.
A patre dicta meo quondam Saturnia Roma eſt,
Hæc illi è cælo proxima terra fuit.

& prætermiſſis quampluribus antiquis, Prudentius in Symmachum Saturni accedentis verba hoc modo recitat:

Sum Deus, advenio fugiens, præbete latebras
Occultate ſenem gnati feritate Tyranni
Dejectum Solio: placet hic fugitivus, & exul
Ut lateam, genti, atque loco Latium dabo nomen:
Vitibus incuruum, ſi qua eſt ea cura, putandis,
Producam chalybem, nec non & mœnia veſtri
Fluminis in ripa ſtatuam Saturnia vobis.
Vos nemo, appoſitaſque meo ſub honore ſacrantes,
(Sum quia nam Cœlo genitus) celebrabitis aras

His ſi addatur Latinos ob hanc rem Saturno menſem integrum dicaſſe, & æra ſignaſſe ex altera quidem parte capite Jani, ex altera navi, qua Saturnus fuerat advectus expreſſa, hæc res in propatulo erit, quemadmodum ſcribit Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 7., qui hanc vetuſtiſſimam Romanorum, & Latinorum opinionem ita ſub oculos ponit: *Hic igitur Janus, quum Saturnum claſſe pervectum excepiſſet hoſpitio, & ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum, ac rudem ante fruges inventas, victum in melius redegiſſet, Regni eum ſocietate muneravit, quum primus quoque æra ſignaret, ſervavit, & in hoc Saturni reverentiam, ut quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte, ſui capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur, quo Saturni memoriam in poſteros propagaret. Ita fuiſſe ſignatum hodieque intelligitur in aleæ luſu, quum pueri denarios in ſublime jactantes, Capita, aut Navia, luſu teſte vetuſtatis exclament*: His conſentiunt Ovidius, Auctor Origin. Gent. Rom., Plinius, Servius, Lactantius, & alii, lib. 1. cap. 25. relati; quæ nequaquam Romæ, & in Latio facta, ſi horum fama fuiſſet incerta, & ii Populi exiſtimaſſent Stercen Pici Patrem, aut Evandrum

ſub

ſub cognomento Saturni cultum, quum Latina Gens Pici Patrem Saturnum affirmaret, ac Stercutium, ſive Stercen diceret, quod Saturnus primus ſtercore fæcunditatem agris comparaſſet teſte Macrobio lib. 1. cap. 7., & Evandrum optime noſſet, eique diverſo menſe, & die feſtos dies adſignaſſet, uti lib. 1. cap. 3., & alibi ſcripſimus.

Hiſce poſitis nemo non videt Latinorum priſcorum eam fuiſſe conſtantem ſententiam, quod Saturnus navi advectus eorum regionem incoluiſſet, latuiſſet etiam in ea filii iram fugiens, & ab ejus latebra Latium appellatum, quæ an vera, an fabuloſa eſſent, ipſi viderint, nam ut alibi diximus omnis fere Deorum Latinæ gentis genealogia fabularis fuit; cultus tamen verus, & opinio illorum, qui tales falſos Deos colebant conſtans: quod ſatis eſt, ut firma remaneat Setinorum, ac univerſi Latii credulitas, quod Saturnus primum in Colle Setiæ proximo delituiſſet, quod & Setini probarunt, Templo in honorem Saturni Profugi erecto.

Nec eſt quod aliquis contra hæc obiiciat, Tertullianum, cujus verba jam recitavimus, potius adfirmare Romæ in Saturnio Colle primum Saturnum delituiſſe. Quandoquidem neque Tertullianus, neque ullus Romanarum rerum Scriptor id auſus eſt proferre; omnes enim memorant tantummodo eum à Jano hoſpitio exceptum in Saturnio colle regnaſſe; antequam autem id factum eſſet primum Saturnus latere debuit, ſecus nunquam in Regione Latinorum latuiſſet, ſi ſtatim ac cum navi Tiberina oſtia appulſus, Jani hoſpes, & in regni partem fuiſſet adſcitus. Quin neque delitere poterat Jovis iram fugiens in Saturnio colle non procul à Janiculo, quem Janus cum ſuis tunc incolebat. Immo Setini, & Latini omnes palàm non poſuiſſent in colle Setino ædem Saturno Profugo, ſi putaſſent illum non in eo colle, ſed in Saturnio primum delituiſſe. Ex quibus ni fallor, quantum convincendo errori in re tam antiqua ſatis eſt, conſtat Rickium & Voſſium eruditiſſimos viros temere plane à communi, & vetuſtiſſima de Saturni in Latium adventu receſſiſſe ſententia; Kircherum etiam de veteri, & novo Latio Lib. 1. Cap. 2., qui Noëmum Saturnum fuiſſe tradit, oſcitanter quidem, quum Caſella de Antiq. Ital. Colon., & alii, qui hanc rem prodiderunt, nugatori Annio Viterbienſi fidem adhibuerint.

Ædem

Ædem hanc Saturno dicatam ante Herculis in Latium appulsum sunt qui dicant quod Dionysius lib. 1. cultum ejus Dei ad priscos Aborigines referat. Alii arbitrantur Fauni ætate id Templum positum, nam quemadmodum ex Probo Lactantio, & aliis lib. 1. cap. 24. & 25. adductis patuit, primus qui Avos suos, & superiores Latii Reges colere docuit, Fanus dicitur, quapropter priusquam Faunus Saturno Avo divinos dedisset honores, nulla ædes sacra in Latio ei Deo dicari potuit. At ego suspicor in hoc Setinorum colle aut Herculem, vel ejus comites aram Saturno sacrasse: ferunt enim socios Herculis plura Fana, & aras Saturnias erexisse Romæ, & in Latio testimonio Dionysii Solini Polyhistor. cap. 2. & 8.; & Macrobii Saturnal. lib. 1. cap. 7. & 8.. Facile itaque est Setinos, qui Herculem conditorem Coloniæ jactabant putasse etiam eum Deum aut ejus comites aram Saturno consecrasse eo loci, ubi dein Latini sumptuosissimi operis Templum construxerunt, licet hujus rei nil certi proferre possim. Immensa tamen huius ædis cryptarum, arcuum, fornicumque rudera, quæ adhuc visuntur, probant non Setinorum tantummodo, sed & universi Latii vires in unum collatas, ut tanta moles assurgeret; quippe arcus, forniceſque Templi positi sunt super fundamentis murorum magnis, & quadratis saxis compactis instar Ærarii Romani, & priscarum ædium, quæ vel ante Romam, vel Romana Republica nascente conditæ asseruntur.

Situm est id Templum in Setino monte, & in loco, quem potius collem diceres, quod eum circumdet amæna quædam planities, & vallis, ubi antiquam fuisse Urbem diximus Cap. 1. Spectat & paludes Pomptinas, Pometinum agrum, mare, ac montes Lepinos. Rudera, quæ in clivo ejus collis sparsa visuntur innuunt ante Fanum, cujus reliquiæ supersunt, fuisse multiplices Porticus pluribus areis distinctas, quæ centum, & ultra passibus in conspectu protendebantur, ut ascensus ad Templum facilis esset per portam antiquæ Urbis, quam Saturniam dicebant, quod per eam pateret aditus ad porticus, & ædem laudatam: idque intelligitur ex ruderibus ejusdem portæ iisdem immensis, & quadratis saxis constructæ, quibus ingens hujus ædis moles erecta erat, quam portam nunc accolæ vocant *Saturni Turrim*, quod instar Turriculæ assurgat. Suspicor quoque in eo-

dem Templo ædiculam, ubi accolæ Opi Saturni conjugi divinos præstarent honores, dicatam; quandoquidem nulla erat Saturni ædes, in qua Opis non coleretur teste Macrobio Saturnal. lib. 1. cap. 10. quod & prodit Pausanias Arcadic. seu lib. 8. pag. 513. subiiciens fœminas in Templo Saturni ei Deæ sacra facere consueviſſe, & Lactantius de Falſ. Relig. lib. 1. cap. 15. Adsignatos etiam ibidem Numini Sacerdotes, qui Vates, & Faunii dicebantur; tradunt quippe Faunum Latinorum Regem flamines Saturno Avo constituiſſe, qui Saturniis versibus laudes ejus percolerent ex relatis lib. 1. cap. 24. ubi Scaligeri lapsum notavimus. Fuiſſe & Sacerdotes fœminas, quæ Opi in eadem æde sacrificarent non dubito ex Pausania mox adducto.

Verumtamen Sacerdotes in hoc, & aliis Latii Templis huic Deo supplicabant apertis capitibus, quamvis in omnibus penè sacris ex Æneæ instituto Latini capita velarent, quod factum esse ajunt, ut ritum sacra faciendi Saturno, quem Faunus, & Hercules instituerant religiosè custodirent testimonio Festi lib. 17. voce *Saturnia*, Macrobii Saturnal. lib. 1. cap. 7. & 8., ex quo etiam palàm fit Saturni cultum in Latio longe Æneæ ætatem antecesiſſe.

Inter Numinis sacra loco Saturni Latium Patrem invocare sacrificulus cogebatur, & pro Opi Latiam Saturni proferre id namque in priſco Latio pontificalia indigitamenta præscribebant, secus piaculare id erat, & profanata sacra, ut notavit Scaliger ad Varronem de Ling. Latin. pag. 16., quamquam Aulus Gellius Noctium Atticarum lib. 5. cap. 12. referat in aliis Sacris, & Templis aliorum Deorum Saturnum, Patrem indigitatum. Ejus simulacrum senis imaginem falcem manu habentis exhibebat, quod agrorum culturæ is Deus præsidere diceretur: cernebatur quoque capite velato, si credimus Servio ad lib. 3. Æneidos, Plutarcho Problem. cap. 11., & Tertulliano lib. 1. adverſ. gent. cap. 10.

Sed cur Statua Saturni toto anni curriculo in compedibus esset, laneoque vinculo alligata, diebus ei festis, quibus illud solvebant exceptis ex Macrobio Saturnal. lib. 1. cap. 8., facile non est intelligere. Sunt qui memoriæ mandarint vincula statuis Saturni iniecta ipsius festo soluta in memoriam securitatis, & felicitatis quam sub illo egerunt homines, si fides danda est Luciano in Saturno, Arnobio

bio contra Gent.lib.4. & aliis; at Poëtæ aliter rem narrant, nam Seneca in Hercul. Furent. actu 4. Scen. 1. hæc habet:

Dubitatur etiam? Vincla Saturno exuam
Contraque Patris impii regnum impotens
Auum resolvam . . . . . .

Papinius Statius lib.8. Tebaid.vers.44.

. . . . Habeo jam quassa Gigantum
Vincula, & æthereum cupidos exire subassem
Titanas miserumque Patrem . . . . . .

Valerius Flaccus lib.3. Argonauticorum.

. . . . Fundo veluti cum Cæus in imo
Vincla Jovis, fractoque trahens adamante catenas
Saturnum, Tityumque vocat . . . . . .

Claudianus lib.1. de Raptu Proserpinæ.

Si dictis parere negas, patefacta ciebo
Tartara, Saturni veteres laxabo catenas:

unde id factum intelligitur ex nota fabula, quam his verbis exponit Lactantius de Falſ.Relig lib.1.cap.14.: *Juppiter ergo liberatur summi sceleris crimine, quod Patrem vinxisse compedibus perhibetur, id enim Titan Patruus fecit, quod ille contra pactionem, jusque jurandum, mares liberos substulisset: reliqua historia sic contexitur: Jovem adultum quum audivisset Patrem atque matrem custodiis circumsectos, atque in vincula conjectos venisse cum magna Cretensium multitudine, Titanumque ac filios ejus pugnando vicisse, Parentem vinculis exemisse, Patri regnum reddidisse, atque ita in Cretam remeasse.* Hinc duplex Antiquorum opinio, una docebat Jovem vinculis exemisse Patrem, altera eum vinxisse compedibus: quod tamen Latini putabant, qui Saturnum à nexibus exemptum, ac Jovis iram fugientem credebant in Latio delituisse, dein regnasse & ex se prolem reliquisse, unde ut memoriam ejus facti recolerent per annum simulacra Saturni laneis vinculis alligabant, & die ejus festo, quo ætatem, qua ille in Latio regnaverat memorabant, vincla solvebant, quod ex Poëtis superius relatis patuit, unde invaluisse putant morem mancipiorum, quæ sui juris facta catenas, anulosque ferreos Saturno suspendebant ex Martiali lib.3.Epig.29.

Has cum gemina compede dedicat Catenas
Saturne tibi Zoilus, annulos priores

Quo menſe ejus ſolemnia agitarentur, & quæ tunc in Latio fierent ſatis dictum eſt Lib.I. Cap.24., quibus addere juuet diebus Saturno feſtis toti Latio bellum indicere, liteſque movere, aut à nocente pœnas exigere, convocare Senatum, vel ſcholas frequentare, piaculare fuiſſe, quod jactarent Saturnum ſine bellico tumultu, pœnæque timore Latinis imperitaſſe Macrobio Saturnal. lib.1. cap.15. Athenæo lib.14., Plinio lib.8.cap.7.teſtibus. Quæ dicta ſint ut cultum Saturno in hoc Setinorum Templo à Sacerdotibus, Latiniſque præſtitum breviter exponeremus.

CAPVT IV.

De Curia, & Ærario Setinorum.

TEmplo Saturni, de quo ſuperiori capite verba fecimus adjacent rudera inſignis Palatii pariter quadratis, & immenſis ſaxis conſtructi, ubi in extremitate, quæ mare reſpicit ipſe mons exciſus eſt, & pluribus quaſi planis gradibus ſectus. Hic fuiſſe Curiam Senatus Setini, & Ærarium publicum fama eſt, licet nulla ſuperſit inſcriptio, quæ id probet; quandoquidem Setini hodieque etiam hunc locum *Scurulam*, & *Scuriam* corrupto nomine appellant, & ſitus, ædiumque magnificentia mihi ſuadent eas ædes publicas fuiſſe. Quippe palàm eſt Latinos vel in Templis Deorum, aut in ædibus iis adjacentibus Curias, quibus Senatus convocaretur, conſtituiſſe. Hujus moris meminit Virgilius lib.7. Æneid. his carminibus:

Tectum auguſtum ingens centum ſublime columnis
Urbe fuit ſumma, Laurentis Regia Pici,
Horrendum ſilvis, & relligione parentum
Hic ſceptra accipere, & primos attollere faſces
Regibus omen erat, hoc illis Curia Templum,
Hæ ſacris ædes epulis, hic ariete cæſo
Perpetuis ſoliti Patres conſidere menſis.

Ad

Ad hæc Donatus, Servius, & Probus notant ſolitos Latinos, & dein Romanos de rebus publicis in ædibus ſacris tractare, quin Curiam ita dictam produnt à cura ſacrorum, & rerum publicarum, quemadmodum probant Varro de Vita Populi Romani apud Nonium Marcellum de Proprietate Sermonis & lib.4. & 6. de Ling.Latina, ac Feſtus lib.3.. Quibus poſitis pro certo habeo Setinos apud Saturni Fanum in ſacris ædibus illi adjacentibus Curiam conſtituiſſe quod id eſſet Templum univerſo Latio religioſiſſimum, & vetuſtate, ac memoria latebræ Saturni in ea regione venerabile.

Ibidem fuiſſe & Ærarium publicum ſuſpicor, quod Latini priſci ſoliti eſſent apud ædem Saturni Ærarium habere. Ferunt enim ætate, qua is Deus Latio imperitavit, nullum in ejus finibus furtum commiſſum, nihilque cujuſpiam fuiſſe privatum. Ob hanc rem eum præſidere Ærariis putabant teſte Tertulliano in Apologet. cap.10., quaſi pecuniæ in tuto præſidio eſſent ſub tutela Saturni, quin theſauros, publicumque cenſum in exteriori Fano, ideſt in ædibus, (quæ & ſacræ erant) Saturni delubro adjacentibus condebant, cujus rei meminit Pauſanias Eliac.poſter. ſeu lib.6. pag.378. & 380, Macrobius etiam Saturnal.lib.1.cap.8.. Sacram vero pecuniam, & donaria Deo facta in penitiori Templi receſſu, tutiori nempe, & munitiori loco, quem ſanctius Ærarium appellarunt ex Livio lib.27.Cicerone lib.7.ad Atticum Epiſt.20. & Act.3.in Verrem, Cæſare lib.2. Bell.Civil., quos ita explicat Philippus Rubenius lib.2. Electorum. His alludit Lucanus lib.3. de Bello Pharſalico:

. . . . . *pugnaſque Metellus*
Ut videt ingenti Saturnia Templa revelli
Mole rapit greſſus . . . . . .

& paucis deinde interjectis:

Non niſi per noſtrum vobis percuſſa patebunt
Templa latus, nullaſque feres niſi ſanguine ſacro
Sparſas raptor opes . . . . . .

Porro ex his intelliguntur Appianus lib.2.Bell.Civil.,&L.Florus lib.4. cap.2. prodentes à Cæſare ædes Saturni, & Ærarii fores effractas, ut inde ſanctiorem theſaurum raperet, ex quo tradunt protuliſſe eum laterum aureorum viginti ſex millia, & in numerato pondo trecen-

ta,

ta, ut auctor est Plinius lib. 33. cap. 3. quamquam lib. 19. cap. 3. aliter referat & Orosius lib. 6. cap. 15. subdens Cæsarem protulisse ex ærario Saturni auri pondo quatuor millia centum & triginta quinque, argenti vero pondo prope nongenta millia.

His consentit Solinus Polhiystor. cap. 2. *Ædem etiam* inquit *quæ Saturni ærarium fertur, comites ejus* (Herculis scilicet) *condiderunt in honorem Saturni, quem cultorem regionis illius agnoverunt extitisse*: unde proditur mos ærarium publicum habendi in Templis Saturni, aut ædibus iis Templis adhærentibus vetustissimum fuisse, invectumque in Latium ab Herculis sociis. Itaque Setinos, qui lapidibus inscriptis jactabant Coloniæ conditorem Herculem, cujus fortasse comites ædem Saturno ibi erexerunt, facile est ærarium Templo hærens, ad id vetustissimum tempus retulisse, quod tamen nequaquam affirmo, quum immensa moles harum ædium, & quadrati lapides similes, immo majores illis Ærarii Romani, quibus fundamenta ædium posita sunt, innuant eas ædes Fano Saturni adjacentes prima Reipublicæ Romanæ ætate, quando Setini plurimum pollebant viribus, exædificatas. Rerum quas huc vsque narravimus typum, in sequenti ichnographia lector contemplari poterit.

CAPUT V.

De Ampitheatro, & Foro Setinorum.

HÆrebat Templo Saturni à parte montes Lepinos respiciente Amphitheatrum, cujus rudera insignis structuræ hodieque supersunt, & in tabula hic adposita exhibentur. Et quamquam nostra ætate Amphitheatrum, & Saturni ædem intersecet via quæ ducit ad Urbem, illa tamen recens est, nam ex muris Saturnii Fani saxa ejusdem figuræ adhuc prominent, quæ indicant Templum Amphitheatro hæsisse, viamque antiquam ab æde Beatæ Mariæ Pacis recto itinere iter ad Amphitheatrum aperuisse, itaut Fanum Saturni medium staret inter Ærarium, Curiam, ac Amphitheatrum.

Illic

Illic Amphitheatrum fuisse opinor, quod rudera ipsa ostendant illud ædificium rotundum fuisse, arcubus etiam, & fornicibus ornatum, hæc enim erat antiqua Amphitheatrorum structura. Arguitur & id ex Livio lib. 34. ubi narrat Setiæ ludos quotannis & spectacula exhibita his verbis: *Satis jam omnibus præparatis ludis qui Setiæ prope diem futuri erant spectaculo intentum populum aggredi statuerant*, quibus satis dilucide innuit in ea Colonia locum publicum, in quo ludi, & spectacula exhiberentur paratum, qui locus nonnisi Amphitheatrum esse poterat, quemadmodum Kircherus Lib.I. Cap. 5. veteris, & novi Latii probat; etenim laudans Amphitheatrum Domitiani in Albano, cujus nemo Romanarum rerum Scriptor meminit, & reliquiæ visuntur, ut probaret rudera, quæ Albæ hodieque sunt Amphitheatrum exhibere, hæc prodit: *Vides igitur à nullo alio istiusmodi Amphitheatrum extructum, quam à Domitiano, quum enim perpetuis ludis, scenicisque, spectaculis, necnon gladiatoriis certaminibus deditus esset, locum necessario, in quo dicta exhiberentur parari consentaneum videbatur*. Quibus si addatur Livium asserere eos ludos solemnes fuisse, solitosque multum tempus terere Setinos in iis parandis, res in propatulo erit, nam tanta cum pompa ludi exhiberi non poterant absque Amphitheatro.

Quibus autem Diis ii ludi, quos Livius memorat dicati essent; neque is aperit, neque nostrum est judicare. At quantum ex conjecturis in re tam vetusta colligere licet, eos ludos sacros fuisse Herculi, aut Saturno suspicor. Quippe Setiæ præter Saturni nobile Templum, Herculis ædes erant, quarum immensa moles quanta fuerit arguitur ex ruderibus, quæ nunc fere medietatem modernæ Urbis occupant, uti dicemus Capite sequenti; facile igitur est tam ingentem ludorum pompam dicatam Herculi, quem Coloniæ auctorem Setini arbitrabantur, nisi dicamus ex situ Amphitheatri hærentis Templo Saturni satius intelligi ludos sacros fuisse ei Numini: quamvis ego existimem Herculi, & Saturno, quin etiam Apollini cujus Fanum Setini habebant, uti ex Cap. 7. patebit, quotannis Setiæ in hoc Amphitheatro ludos actos.

Sed cur Setini Amphitheatrum junctum Saturni ædi extruxerint, difficile est assequi, quanquam si liceret in re tam antiqua ali-

quid fari, plures ejus rei causæ adsignari possent. Ferunt priscos Latinos Saturno humanas victimas immolasse. Id immane sacrum Pelasgi in Latinas oras invexerunt si Macrobio Saturnal. lib. 1. cap. 11. credimus: immo tradunt in plerisque Urbibus extra Oppidorum portas hominem certis ritibus confectum, productum, atque vino irrigatum coram Magistratus consessu publice damnatum, Numini mactari consuetum teste Porphyrio lib. 2. de Abstinentia. Alii narrant Puellos die festo ejus Dei sacrificatos, dein monitu Herculis infaustum sacrum immutatum, araſque Saturnias accensis luminibus excultas, ludosque actos, ut ex relatis lib. 1. cap. 17. patuit. Ergo verisimile est Setinos nefando ritu immutato, ludos in honorem Saturni agitasse, vel gladiatorum spectacula in Amphitheatro Saturno sacrato exhibuisse, ut ita imago prisci sacrificii restitueretur.

Sunt qui memorent Saturnum, & Ditem præcipua Numina fuisse eorum, qui in arenam descendebant testimonio Marcilii scholiastis Valerii Maximi lib. 2. cap. 4. de spectaculis, verumtamen Casella de prim. Ital. Colon. pag. 32. memoriæ prodidit Saturnum, quum Latinis imperaret, ex Patribus deputasse quosdam, qui in palæstra, cursu, & disco juvenes instruerent, unde vero id hauserit compertum non habeo: quin ex Dionysio, & aliis adductis lib. 1. cap. 13. patuit Arcades, Spartanos, cæteroſque Græcanicæ gentis prisci Latii cultores eas artes in Latium transvexisse, quare constat Setinos Saturni Templo Amphitheatrum addidisse, quod fortasse putarent ludis, qui in eo agitabantur eum Deum præsidere.

Forum habuisse Setinos haud dubito, nulla enim Colonia foro carebat, in quo res venales venderentur, & statuæ præclarorum virorum, & Cæsarum positæ essent, uti dicemus suo loco: quin tradunt in Setinorum foro locatam statuam Titi Claudii Augusti Liberti Oniri cum hac epigraphe apud Gruterum pag. 1113.

T. CLAVDIO AVGVSTI
LIB. ONIRO

Plures legunt *Tiberio*, & hunc fuisse Libertum Claudii Cæsaris putant, quod Claudius plures Libertos adamasset, quin in tantam prosilu-

siluisset insaniam; ut Libertis Imperium traderet ex Suetonio in ejus vita cap. 28., & Tacito Annal. lib. 12.. Ego arbitror legendum *Tito* & hunc Libertum Augusti facio, ita enim lapis innuit, idemque Suetonius in Octavio cap. 67. testatur Augustum Libertos plures in honore habuisse: en ejus verba: *Multos Libertorum in honore, & usu maximo habuit, ut Licinium, Enceladum, aliosque*. Casaubonus legit Licinium, & Celadum, quod Celadi Augusti Liberti mentionem faciat Josephus; alii Lucinium, vel Lucinum. Cujuscemodi tamen eorum Libertorum fuerint nomina, illud palàm est apud Augustum plures Libertos prævaluisse, quibus accensendum puto Onirum, cujus Cippus prædictus meminit. Hic quum fortasse Setinorum suffragator esset apud Principem, statuam in eorum foro promeruit.

In qua Urbis parte forum esset, mihi non liquet; quamvis verosimile sit illud locatum inter porticus ædis Saturni, & Amphitheatrum, qui sane locus in meditullio antiquæ Urbis erat.

CAPUT VI.

De Templo Herculis Setini.

IBi Collegium Societatis Jesu ære publico vigintiquinque mille aureorum extructum est, Setiæ erat Herculis ædes, insignis structuræ, saxisque quadratis, & spatiosis, & quidem præ illis, quibus Ærarii Romani moles assurgit, ædificata. Hæc penè medietatem modernæ Urbis occupabat. Tres erant ambitus Templi, exterior prope Cathedralem Ecclesiam incipiebat, & ad portam Urbis, quam *Passibellam* dicunt pertingebat, quemadmodum reliquiæ sub Monasterio Monialium S. Claræ, & quæ sequuntur demonstrant. Interior ambitus penetrale ædis Herculeæ custodiebat, intima vero pars instar Castri condita, Castrum Herculis, seu Castrum durum appellabatur, ubi erat penetrale, nunc sacra divi Rocci, & in loco, quo Castrum Herculeum locatum, nunc divi Petri ædes, & Collegium laudatum assurgunt. Erat itaque mons excisus, & tribus pla-

nis gradibus ſectus, cryptiſque, & ædiculis abundabat. Eo ſitu fuiſſe Herculis Templum probant rudera, vetuſtiſſima accolarum fama, de qua Ughellus Italiæ ſacræ tom. 1. de Epiſcop. Terracinenſibus, Pater Rhò in libro, quem is edidit de S. Lindano, necnon Joſephus Ciammaruconus qui de Setinis breviter ſcripſit, ac vetuſtiſſimus Cippus eo loci effoſſus cum inſcriptione hac:

HERCVLI FVNDAT COLON

His conſentit mutilus lapis quem ſub Collegio in vico mare verſus pluries conſpexi cum Epigraphe hac:

. . . . FOVL . . . .

quamquam anno mox lapſo Setiam reverſus, in eo ſitu neque fornicem, cui inſcriptio laudata hærebat repererim, quod (ut ſæpe contingit) vir ignarus paruam ædem ut conſtrueret eam ruderum Herculei Templi partem invaſerat. Has, & ſimiles ærumnas ſubeunt vetuſtiſſimæ Urbes ob incuriam Civium, qui memorias lapidibus inſcriptas aut deturpant, aut eadem ſaxa, reliquiaſque priſcas populantur, ut privatis compendiis inſerviant, quamobrem multum redarguendi Setini, qui Caſtrum Herculis vaſtarunt, & Amphitheatrum terebrarunt, ut peſtilentiæ tempore mortuos inibi tumularent: quin vetuſtum ſaxum è Saturni Templo delapſum cum Epigraphe probante eam ædem Saturno Profugo dicatam peſſumdediſſent, ni ejus loci Dominus illud ſervaſſet.

Saxum itaque Fulviam gentem, quam antiqui Foulviam ſcribebant teſte Spanhemio de præſtant. & uſu numiſmat. diſſert. 2. pag. 80., ædem hanc ampliaſſe, aut reſtauraſſe indicat. Hinc intelligimus Ciceronem in oratione pro domo ſua ad Pontifices, ubi arguens Clodium, qui domum ſuam ſine Collegio Pontificum, ſolo Fulviæ gentis Pontifice adſtante dedicaverat, ita de hoc Fulvio loquitur. *Quem quum videres, tum te ad tuum affinem non delectum à te, ſed relictum à cæteris contuliſti: quam ego tamen credo, ſi eſt ortus ab illis, quos memoriæ proditum eſt ab ipſo Hercule perfuncto*









functo jam laboribus sacra didicisse, in viri fortis ærumnis non ita crudelem fuisse, ut in vivi, & jam spirantis caput, bustum suis manibus imponeret; quare patet putasse Quirites Fulviam familiam edoctam ab Hercule ejus sacra tractare, ad id tempus originem suæ gentis retulisse.

Scio Paulum Manutium prodere Tullium in ea oratione de Lucio Pinario Natta verba fecisse, quod Romani testarentur Pinariæ, & Potitiæ gentis auctores ab Hercule Aræ Maximæ, sacrisque suis præfectos ex Dionysio & Livio lib. 1., Servio etiam ad lib. 8. Æneidos. At ex verbis Ciceronis, quæ præcedunt, dilucidum est Pontificem illum, qui dedicationi à Clodio factæ solus adfuit, fratrem uxoris Clodii fuisse, quæ ex Fulvia gente erat; *Quis ergo*, ait Cicero, *affuit? frater, inquit, uxoris meæ*: & infra: *hanc tu igitur dedicationem appellas, ad quam, non collegium, non honoribus Populi Romani ornatum Pontificem adhibere potuisti? affuit is si modo affuit, quem tu impulisti, soror rogavit, mater coegit*: quæ innuunt Ciceronem loquutum de fratre uxoris Clodii, nequaquam consobrino, aut ex altero gradu, uti Manutius autumat, sed nato ex eadem matre. Quod longe clarius apparet, si consideremus nullum antiquum testem adduci qui Lucium Pinarium Nattam consobrinum, aut uterinum fratrem Fulviæ uxoris Clodii referat. Cæterum liquet Fulviam gentem Herculi semper devotam fuisse, quandoquidem narrant M. Fulvium nobiliorem in censura exstruxisse Fanum Herculi musarum, in quo musarum signa posuit, quæ capta Ambracia Romam transtulerat ex Livio lib. 38. Imperatores etiam Macrinianum seniorem, & juniorem, Quietum itidem Fulviæ familiæ, ut mori gentis suæ obsequerentur, in Templo Herculis quotannis splendidissimam cœnam Populo exhibuisse testimonio Trebellii Pollionis de triginta tyrannis in Quieto. Quibus si addatur mox relata inscriptio in ruderibus Templi Herculis Setini reperta, palàm fiet Fulviam gentem Romæ & in Setina Colonia Herculis solemnia quotannis celebrasse, quod jactarent Herculem perfunctum laboribus sacrorum suorum curam auctoribus familiæ tradidisse non Romæ, ubi constat eum præfecisse sacris suis Pinarium, & Potitium, sed in alia Colonia, quam fortasse fama tunc erat, ab eo in Latio conditam.

Hanc rem perhibet & Pighius Annal. tom. 1. lib. 6. ad annum V.C. CDLXXIII., qui explicans Ciceronem in Planciana, ejus verba pervertit: hæc enim sunt verba Tullii: *Nùm aliquando vides Tusculanum aliquem de M. Catone illo in omni virtute principe, nùm de Tito Coruncanio municipe suo, nùm de tot Fabiis gloriari?* hunc locum mutilum, & incorrectum existimat Pighius, putatque ita legendum: *Nùm aliquando vides Tusculanum aliquem de M. Catone illo in omni virtute Principe, nùm de Tito Coruncanio municipe suo, Camerinum, nùm de tot Fulviis Tiburtem gloriari?* subiicitque: *Nam de Fulviis Plebeis, & obscuris primum, non Fabiis illustribus, & Patriciis loqui Ciceronem autumo, qui municipio Tibure oriundi videntur, nam in oratione pro domo sua scribit, ab Hercule perfuncto laboribus sacra didicisse Fulvios.*

Hactenus Pighius vir alioquin eruditissimus, cujus in hac re lapsus multi sunt, quippe Cicero juxta Scriptorum omnium sensum, Coruncanium Tusculanum facit, quamvis Claudius Imperator testimonio Taciti lib. 11. eam gentem primùm Camerio oriundam diceret. Loquitur & Cicero de Fabiis, cui genti Tusculum prima dedit incunabula, quemadmodum diximus lib. 1. cap. 27., arguitque eo loci Tullius Tusculanos, qui in petitione Consulatus M. Laterensem Tusculanæ, & Consularis gentis non juverunt, miraturque de eis, qui Cives suos præclaros potius vituperarent, quam laudarent, extollitque Atinates, qui Cneo Plancio civi Atinati favebant. Sensus itaque Ciceronis is est, ut in Consulatu Plancius ob studium Comprovincialium suorum, & merita Atinatum præferri debuisset Laterensi, pro quo Tusculani non instabant, quamvis Tusculanorum dignitas major esset apud Populum Romanum: quam tamen parvi pendendam ait Orator, quod municipes illi neque de familiis Consularibus, & longe præstantioribus illa Laterensis, quales erant gentes Catonis, Coruncanii, & Fabiorum, gloriarentur.

His positis patet Pighium Ciceronis sensum pervertisse. At neque poterat Cicero loco Fabiæ Fulviam nominare, neque Fulviam Tiburtinam facere, nullus enim Scriptor ejus rei meminit: & quamquam Pighius ex eodem Tullio in oratione pro domo sua id arguat, quod Tiburi Herculis ædes sumptuosissimi operis esset; attamen

men si is compertum habuisset Setiæ etiam Herculis Templum insignis structuræ fuisse, Setinosque jactasse lapidibus inscriptis Herculem fundatorem Coloniæ, conspexisset itidem lapidem in ruderibus ædis Herculis Setini Fulviæ gentis devotionem indicantem, Ciceronis dictum non Tiburtinæ, sed Setinæ Coloniæ consentire adfirmasset, quemadmodum suo loco, quum familias Setinas censebo, plenius disserere propono.

De Herculis in Latium appulsu, deque fama priscorum quod is Oppida, & ædes sibi sacras in Latio condiderit satis dictum est hoc Libro Cap.I., itaque juvat aliquid delibare de ritibus sacrorum ejus Dei, & quomodo in hoc Templo illi sacrificaretur. Facile est in hac æde fuisse simulacrum Herculis, viri nudi, hedera redimiti, barbati, cultu militari, & validis lacertis, dextra manu aperta, sed extensa, sinistra clavam, pellemque Leonis gerentis figuram exhibentis: ita enim Herculem effingebant, quod traderent eum pelle Leonis, quem clava mactaverat in signum perceptæ victoriæ semper indutum incessisse dum Latium inhabitaverat teste Smetio Antiquit. Neomagen.pag.142.143. & 251.

Numinis aras populi frondibus ornabant, fama enim erat Evandrum apud Aram Maximam sacra facientem Herculi spectanti, aram ejus arboris frondibus redimisse, quod eas gratissimas Deo intellexisset, si fides danda est Macrobio Saturnal.lib.3.cap.12., quamquam Servius ad lib.8.Æneid. prodat Populum Herculi sacram, quoniam quum is ad inferos descendisset de hac arbore sibi corona facta caput velasse dicebatur, huius & moris meminit Virgil. lib.8. Æneid. his versibus: . . . . . .

. . . . *Herculea bicolor cum populus umbra*
Velavitque comas, foliisque innixa pependit,

& paulò post loquens de Saliis Herculis sic canit:

Populeis adsunt evicti tempora ramis.

Sacerdotes Deo bovem immolabant, cujus carnes carius vendebant religionis causa, ut alium ex pretio redimerent, qui quasi perpetuus esse videbatur, ut auctor est Servius in lib.8. Æneid. ad illud:

Vescitur Æneas simul, & Trojana juventus
Perpetui tergo Bovis . . . . . .

Qui-

Quinimo quum in priſco Latio edicto cautum eſſet, ne ovis aut intonſa, aut priuſquam peperiſſet mactaretur, neve boves immolarentur, ſunt qui dicant hunc bovem Herculi ſacrum, quem perpetuum dicebant, religionis cauſa ei ſemper immolatum ex Athenæo lib. 9.

Supra exta bovis ſacrificati ſpargebant vinum, quod tamen ex græca, & amputata vite, ſeu fulmine tacta, aut quæ vulneratis pedibus calcata, aut immunditie polluta fuerat, vel juxta quam homo laqueo pependerat, quæque circumciſis vinaceis profluxerat natum non eſſet uti notat Stuckius de Sacr. Gentil. pag. 132. Qui rem divinam Numini faciebat alium deorum appellabat neminem, quin neque Janum, cui in omnibus ſacrificiis præfari ſolitum fuit teſte Plutarcho Probl. cap. 90. Eo die canes in Templis, & Urbibus in quibus Numini res divina fieret nequaquam apparebant, quod quum Evander ei Deo litaret, nihil omnino præſenti infeſtior fuiſſet, quam canis. Quamobrem tametſi Latini ædibus ſacris canem arcerent, quod pugnax, & in primis ferox eſſet animal, die tamen, quo Herculi ſacrificabant à Templis, & Urbe canes omnes pellebant, quemadmodum ſcribit Plutarchus Problem. cap. 90., quamquam Plinius, & Solinus lib. 1. cap 27. adducti aliam cauſam ejus rei adſignent. Adſtare nec poterant ſacris Numinis, & in æde qui allium, aut ſimile quicquam guſtaſſent ſi credimus Athenæo lib. 10., neque fœminæ, Servi, aut Liberti teſtimonio Plutarchi Problem. cap. 55. Macrobii Saturnal. lib. 1. cap. 12. Livii dec. 1. lib. 9. & Servii ad lib. 8. Æneidos in illud:

Tunc lecti juvenes certatim . . . . . .

quibus alludunt Silius lib. 3. Punicor. qui deſcribens ſacra, & Templum Herculis Gaditani, ſic cecinit:

Tum queis fas, & onos adyti penetralia noſſe
Fœmineos prohibent greſſus, ac limine curant
Setigeros arcere ſues . . . . . .

Propertius lib. 4. Eleg. ad Herculem:

Maxima quæ gregibus devota eſt ara repertis
Ara per has, inquit, maxima facta manus

Hæc nullis unquam pateat veneranda puellis
Herculis eximii ne ſit inluta ſitis.

qui eam cauſam refert ad mulieres, quæ Herculi ſitienti aquam negaverunt, quod ſacris Bonæ Deæ, à quibus viri arcebantur, operarentur.

In his ſacris epulabantur ſedentes in mollibus lectis, quos Latini Herculeos dixerunt, cæna præbente eo, qui Duumvir, aut Magiſtratum gereret, vel Numini præcæteris eſſet devotus, in qua tradunt multum effundi ſolitum pro eduliis, & carnes fumo duratas elixas, oſtiarumque nuper mactatarum aſſas partes ſubminiſtrari ex Athenæo lib.4., Macrobio Saturnal. lib.3. cap.6., & Servio ad lib.8. Æneid.,qui ſubdunt poſt cænam epulantes manus laviſſe aquis calidis è terra ſcaturientibus tanquam Numini ſacris. Libantes Numini nihil in calice vini relinquebant, ut morem ei gererent: perhibebant quippe eum Deum magnum poculum ligneum in Latium tuliſſe, quo uteretur in ſacris; id ne carie conſumeretur pice oblitum religioſe ſervabant, & quum referrent eundem ſacra facientem in eo poculo nil vini ſolitum relinquere, ob hanc rem ſimili modo in ejus ſacris libabant, quod memorant Servius ad lib.8. Æneid. Athenæus lib.12. & alii, quamquam Macrobius Saturnal. lib.5. cap.22. prodat hæc facta quod Hercules bibax fuiſſe diceretur, ſeu potius quod is poculo tanquam navigio ventis immenſa maria tranſiſſet. His alludit Virgilius lib. 8. Æneidos de ſacrificio Herculi oblato ita canens:

Et ſacer implevit dextram Scyphus . . .

Juvenalis Satyr.12. verſ.45.

. . . . . urnæ cratera capacem
Et dignum ſitiente Pholo . . . . . .

Cicero act.6. in Verrem: *duo pocula Herculea manu Mentoris ſummo artificio facta*, quibus Tullius magna pocula Herculea dicta protulit, & Servius loco quo ſupra hæc ſubdens: *Legitur in Libris antiquis Herculem magnum poculum ligneum attuliſſe, quo utebatur in ſacris, quod ne carie conſumeretur pice oblitum conſervabatur.* Porro omnes tradunt in ædibus Herculis ſacra facta aperto capite, ut eum imitarentur ex Macrobio Saturnal. lib.3. cap.6. & 12.,

Plu-

Plutarcho Problem. cap. 10.. Afferre autem illi soli licebat omnia esculenta, & poculenta; quamquam aliis Diis omnia pollucere piaculare esset, ut auctor est Festus lib. 14. verb. *Pollucere*, quod & ejus interpretes affirmant. Solitum & fuit in Latio decimam fructuum ei Deo passim voveri; idque auspicatissimum duxerunt, & fortunatissimum, putantes eos, qui hæc feciissent fortunas augere, uti memoriæ mandarunt Plutarchus Problem. cap. 17., Macrobius cap. 6., Diodorus Siculus lib. 5. cap. 2. & alii. Ex hac decima gustabant tantum Sacerdotes, ædisque Ministri, nam quum is doceret sua sacra attrectari ita edixerat, interdixerat etiam Pinario Sacerdoti ejus, & familiæ ad epulas sacras convenire quod apud Aram Maximam comeso jam prandio noviissimus veniisset, quum jam Pransores manus lavarent Plutarcho Problem. cap. 55., Macrobio Saturnal. lib. 3. cap. 6. & Dionysio lib. 1. testibus, quamvis Servius ad lib. 8. Æneidos rem aliter narret: unde intelligitur Herculi mane, & vesperi eodem die litatum, eique immolatos non unum bovem, quod tamen Servio alio loco superius relato placuit, sed plures, bovemque illum, quem perpetuum nuncupabant, & de quo supra verba fecimus, præcæteris die ejus festo eidem mactatum.

Ex his patet Latinos priscos, quin Græcos cæteraque gentes in sacris Herculis ritus ab ipso dictatos religiosè servasse, ob quam rem ferunt apud Lindum non benedictis, sed maledictis inter sacrificandum usos, cujus rei causam explicat Lactantius de Falsa Relig. lib. 1. cap. 21. pag. 123.. Hæc dicta sint, ut quo ritu in hac æde Herculis Setini sacrificaretur exponeremus. Cæterum constat Salios in hoc Templo Herculi ministrasse uti diximus Lib. I. Cap. 22., ubi probavimus Latinos priscos Herculi Salios adsignasse priusquam Roma conderetur, ita testantibus Virgilio, Servio, & Macrobio ibidem adductis, & mihi id suadet inscriptio relata hoc Lib. Cap. 2. ex qua apparet M. Nomeicium Palatinæ Tribus Salium Martialem Capulatum, & Magistrum Augustalem Coloniæ Setinæ fuisse. Hunc Capulatum vocat Lapis, quod is Capulum, siue Manubrium, aut Apicem Saliaris Pilei, seu Cassidis pro gestamine haberet uti explicat Fabrettus Inscript. cap. 2. pag. 115., quamquam ego putem ita eum inscriptum ex Manubrio ancylis, quod gestabat Marti sacrificans

ex

ex Antiquario Lubini, & Virgilio lib. 2. Æneidos:

. . . . . *laterique coruſcus*
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit enſem:

itaque ex dicto vetuſto Cippo apparet Nomeicium Saliari Sacerdotio Setiæ inſignitum, Marti, Herculi etiam ſacra feciſſe, quemadmodum Romæ Salii Martis, & Herculis ſacris operabantur, ſicuti dictum eſt Lib. I. Cap. 22., licet id pro certo non habeam.

Quare Salii Herculi ſacrati populea corona redimiti circum aras carminibus pſallebant, & dum extis carnibuſque ſacrificuli veſcerentur, inter veſcendum hymnos & laudes Numini canere conſueverunt, cymbala quoque pulſare ex Macrobio, aliiſque mox adductis. Sed an hi Salii ſaltarent, & circum aras choros agitantes exultarent, leve non eſt inter Scriptores diſſidium, quamvis mihi arrideat ſententia Scaligeri commentatoris Feſti verb. *Redamptuare*, qui memorat Salios Martis ſaltaſſe, & exultaſſe, eos vero Herculis nequaquam, quod & tradit Cælius Rhodiginus antiq. lect. lib. 5. cap. 3.. Quæ ſatis ſit in re tam vetuſta delibaſſe.

CAPUT VII.

De Templo Martis, Æde Apollinis, atque Auguſti. De Auguſtalium, necnon Fabrorum Collegio Coloniæ Setinæ.

CONſtat teſte Fabretto Inſcript. Antiq. cap. 2. pag. 90. ex lapide vetuſto relato hoc Libro Cap. 2. M. Nomeicium Coloniæ Setinæ Salium Martialem fuiſſe, unde conjicitur ibidem Fanum Martis extructum, ejuſque ſacra & Saliorum Collegium inſtituta. Diximus Lib. I. Cap. 22. ex Servio, Macrobio, & aliis Collegia Saliorum Sacerdotum Martis, qui armati certiſque diebus ſaltantes ei Deo ſacrificabant, Tuſculanis, Tiburtinis, ac univerſo Latio vetuſtiſſima fuiſſe, quum Æneam, Pelaſgos vel priſci Latii accolas in Latina littora id Sacerdotium, & eas cœremonias tranſvexiſſe putarent. Facile itaque eſt Setinos, qui Herculem jactabant Coloniæ conditorem, Salios ei

Deo adſignaſſe: Marti etiam, quum id Numen Latinis ab initio venerabile eſſet. Et quamquam ſint qui putent Saliorum Collegia, & Ancylia à Numa primum conſtituta, eos tamen erroris inſimulo, quod pateat ex prædictis, Æneæ tempore Salios Herculi, & Marti in Latio ſacratos cum armis, atque Ancylibus litaſſe. Sic Larinates Collegium Saliorum, qui cum Ancylibus Marti ſacrificarent inſtituiſſe memoriæ proditum eſt teſtimonio Alexandri Genial. lib. 1. cap. 26.; Setinos itidem, id quod Cippus laudatus evincit, nam quum Nomeicius Salius Capulatus inſcribatur, ſatis intelligitur Salios, qui miniſtrabant in æde Martis Setinorum cum Ancylibus ſacra feciſſe, quemadmodum ex adductis Capite ſuperiori patuit.

Saxum Setinum quod exhibet Gruterus pag. 1066. Apollinis Delubrum Setiæ fuiſſe memorat, quippe tale eſt.

L. ANINIVS L. F. CAPRA IIII. VIR
ITER APOLLINIS AEDIS, ET CIRCVM
AEDEM MVROS D. S. P. R. C

Hinc ſcimus Setiæ ædem Apollinis extructam, viamque, quæ ad id Templum ducebat L. Aninium reſtituiſſe, & muros, qui circum ædem erant, idque factum anno, quo Aninius Magiſtratum in ea Colonia gerebat, de quo Magiſtratu ſuo loco plura dicenda ſuperſunt. Hunc non ex Setina gente, ſed Arretina fuiſſe ſuſpicor, & ex Tribu Pomptina, uti arguitur ex alio Lapide Tiferni effoſſo, quem refert Ligorius in MSS. Otthobonianis voce *Tifernum* cum hac Epigraphe.

C. ANINIVS C. F. POMPTINA GALLVS
DOMO ARRETIO LEG. IV. SCYTHICAE MILITAVIT
IN PROVINC. ANN. XVII
EVOC. ANN. II
IN LEG. IIII. SCYTHIC
ANN. XVIIII. VIX. ANN. LX
MERV. ANN. XXXVIII
H. S. E. ..... ATYMETVS L
EX TESTAMENTO P. C

Quan-

Quandoquidem licet Cajus iſte frater Lucii Aninii haud eſſet, quum hic Lucii, ille Caii filius inſcribatur, nihilominus puto vtrumque ejuſdem familiæ, & Tribus Pomptinæ fuiſſe, & poſt Auguſtum vixiſſe, nam ferunt Auguſtum Legionem Scythicam IIII. inſtituiſſe ex Dione, & aliis apud Panvinium in Deſcript. Imper. Roman. lib. 3. pag. 383.. Ajunt Apollinis Templum Setiæ poſitum eo loci, ubi Eccleſia S. Paraſcevis apud Portam Paſſibellam, atque alia proxima ſacra ædes S. Antonio Abbati dicata, extant, memorantque ibi lapidem priſcum id probantem diu manſiſſe; quorum tamen nil compertum habeo. Exhibeo typum eorum ruderum, & Portæ Paſſibellæ uti nunc ſunt, ex quibus apparet in eo ſitu vetuſtiſſimum poſitum ædificium; at quale id eſſet, non liquet.

Templum Auguſti, & Collegium Auguſtalium Setiæ poſitum ſatis dilucidum eſt, id teſtante inſcriptione M. Nomeicii, de qua ſupra verba fecimus, ubi is Magiſter Auguſtalis Coloniæ Setinæ inſcriptus eſt; quippe teſtimonio Auctoris qui ſcripſit vitas virorum illuſtrium, Suetonii in Auguſto cap. 52., & Appiani Bellor. Civil. lib. 5., compertum eſt in omnibus Provinciis, perque Urbes celeberrimas Auguſto vivo mortuoque Templa, Sacerdotes, & Collegia ſacrata. Verumtamen an ea Collegia Auguſtalium eſſent, obſcurum eſt. Sunt qui dicant Sacerdotes, qui Auguſti ſacra attrectarent, eo vivo conſtitutos, quorum ſententia veroſimilior eſt, quod pateat Flamines Auguſto eo vivente adſignatos; at non Auguſtales Sodales, de quibus hæc habet Tacitus lib. 1. Annal. ad Tiberium id Sacerdotium referens: *Idem annus novas cæremonias accepit, addito Sodalium Auguſtalium Sacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum ſacris Sodales Titios inſtituerat, ſorte ducti è Primoribus Civitatis unus & viginti, Tiberius, Druſuſque & Claudius, & Germanicus adjiciuntur*; quin ut Hiſtoricus evinceret Sodales, quorum meminerat, Sacerdotes Auguſtales fuiſſe, lib. 2. hæc facta Romæ quum nuncius mortis Germanici properaſſet, ſubdit: *Honores ut quis amore in Germanicum, aut ingenio validus, reperti, decretique ut nomen ejus Saliari carmine caneretur; ſedes curules Sacerdotum Auguſtalium locis, ſuperque eas querceæ coronæ ſtatuerentur: ludos Circenſes eburna effigies præiret, neve quis*

flamen, aut Augur in locum Germanici, nisi gentis Juliæ crearetur; & narrans lib. 3. quæ facta sunt quum valetudo atrox Juliam invasisset, ita subiicit: *Sed tum supplicia Diis, ludique magni ab Senatu decernuntur, quos Pontifices, & Augures & quindecim viri septem viris simul, & Sodalibus Augustalibus ederent. Censuerat L. Apronius, ut Feciales quoque is ludis præsiderent. Contradixit Cæsar* (Tiberius scilicet) *distincto Sacerdotiorum jure, & repetitis exemplis, neque enim unquam Fecialibus hoc majestatis fuisse, ideo Augustales adjectos, quia proprium ejus domus Sacerdotium esset, pro qua vota persolverentur*: Tacito consentit Suetonius in Claudio cap. 6., qui dignitates Claudio collatas Tiberii imperio recensens: *Senatus quoque* ait, *ut ad numerum Sodalium Augustalium sorte ductorum extra ordinem adjiceretur censuit*: & in Galba cap. 8.: *eum inter quindecim viros Sodalesque Titios item Augustales cooptatum* scribit; quo fit dilucidum esse Augustalis nomen in lapidibus priscis, Collegium Sacerdotum, qui sacra Augusti curarent asserere.

Ad hæc Reinesius epist. 31. ad Rupertum tradit: *Augustales* fuisse *Magistratus municipales*: *ex iisdem duum viros eligi solitos, ipsos à Præsidibus etiam Provinciæ Augustalitate decoratos*: unde eos putat Augustales nominatos, qui in Coloniis genere, meritis, & patrimonii amplitudine cæteris potiores essent, & Augustorum jussu Magistratum inibi obirent, quam assertionem is probat inscriptione Alcantarensi, & Reipub. Petilinorum, quibus notatur Augustales juri dicundo præpositos. Nec dissimulabo edictum Theodosii, & Valentiniani in l. si quis spontaneos Cod. de Decurionibus lib. 10., ubi spectabilis Augustalis dicitur is, qui in Provincia jus dicebat. Fallitur tamen Reinesius, quum lapides laudati jurisdictionem tantum in rebus sacris probent. Quemadmodum enim Collegium Pontificum Romæ jurisdictione in sacris utebatur ex Gutherio toto lib. 2. de veteri Jure Pontificio, sic penes Augustalium Collegium erat de iis sacris judicare. Augustalis vero, cui Theodosius, & Valentinianus rescripserunt erat Præfectus Ægypti, ut Juris consulti in d. l. si quis spontaneos adnotarunt: qui Augustalis dictus est, quod Augustus Antonio, & Cleopatra victis, Ægyptoque in formam Provin-



T. FVNDILIO GEMINO VI. AVG. MAG
IVV. AVGVSTALES PATRONO ET QVINQ
P E R P E T V O

unde conſtat Fundilium fuiſſe Sevirum Auguſtalem, & magiſtrum Auguſtalium quater, puto enim in illa nota IVV. unam literam redundare, & Patronum quinquennalem perpetuum Auguſtalium.

Erat id Sacerdotium annale, & à Decurionibus Coloniæ decernebatur, aliquando extra ordinem viris, qui pretio, vel opere ſibi illud comparaſſent, quod ſequentes Cippi apud Gruterum, Eminentiſſimum Noriſium, & Fabrettum cap. 3. pag. 170. & pag. 228. probant:

I.

CENTVM VIRI MVNICIPII AVGVSTI VEIENTIS
ROMAE IN AEDEM VENERIS GENETRICIS
C V M C O N V E N I S
SENT. PLACVIT VNIVERSIS DVM DECRETVM
C O N S C R I B E R E T V R
INTERIM EX AVCTORITATE OMNIVM PERMITTI
C. IVLIO DIVI AVGVSTI L. GELOTI
QVI OMNI TEMPORE
MVNICIP. VEIOS NON SOLVM CONSILIO
ET GRATIA ADIVVERIT
SED ETIAM IMPENSIS SVIS ET PER FILIVM SVVM
C E L E B R A R I
VOLVERIT HONOREM ET IVSTISSIMVM DECERNI, VT
AVGVSTALIVM NVMERO HABEATVR AEQVE
A C S I E O
HONORE VSVS SIT LICEATQVE EI
OMNIBVS SPECTACVLIS
MVNICIPIO NOSTRO BISELLIO PROPRIO
I N T E R A V G V S
TALES CONSIDERE CENISQVE OMNIBVS PVBLICIS

INTER

INTER CENTVM VIROS INTERESSE
ITEMQVE PLACERE
NE QVOD AB EO LIBERTISQVE EIVS VESTIGAL
MVNICIPII
AVGVSTI VEIENTIS EXIGERETVR

Hic lapis innuit Decuriones Geloti honorarium Sacerdotium dedisse, & Augustalibus in Coloniis Biſellium (ſedem ſcilicet, quam Subſellium dicunt) adſignatum ad honorem, immunitatem itidem à Vectigalibus conceſſam, quæ tamen obſcura ſunt, nam potius lapis exponit honorem Biſellii, & immunitatem Geloti à Decurionibus ex gratia datam, quemadmodum arguitur ex ſaxo Sueſſano apud Fabrettum Inſcript. cap. 3. pag. 228.

II.

FAVSTVS
VI. VIR ET AVGVST
QVI INTER PRIMOS
AVGVSTALES
A DECVRIONIBVS
AVGVSTALIS FACTVS EST

Unde intelligitur Decuriones, Auguſtales cooptaſſe, nam flamines etiam à Duumviris, Dictatoribus, & Decurionibus Coloniæ eligebantur ex Cicerone orat. 2. de Leg. Agrar. contra Rullum & pro Milone.

III. Oſtienſis.

L. CARVLLI FELICISSIMI BIS
VI. AVG. IDEM
QVINQVENNALIS LAVRENTVM LAVINATVM Q. Q
CORPORVM VINARIORVM VRBANORVM ET OST
VIX. A. LXXVI
CARVLLVS FELICISSIMVS
PATR. B. M. FEC

IV. Itidem Ostiensis.

Apud Fabrettum Inscrip. cap. 8. pag. 560.

L. MARRI
MODERAT
SEVIR. AVG. IDEM
QVINQVENNALI VIXIT ANN
LXX. EVTYCHES
ET PHYLVMENVS
FECERVNT

V. Itidem Ostiensis.

Apud eundem cap. 5. pag. 408.

L. CARVLLIVS
EPAPHRODITVS
VI. VIR AVG. IDEM QVINQVENNALIS
HIC SVM POSITVS QVI
SEMPER SINE CRIMINE VIXI
ET QVEM MI DEDERAT
CVRSVM FORTVNA
PEREGI
CVIVS OSSVA ET CINE
RES HIC LAPIS IN
TVS HABET
HVIC VI. VIRI
AVGVSTALES POST CVRAM
QVINQVENNALITATEM
OPTVLERVNT QVI
EGIT ANNIS
CONTINVIS IIII

Hæc Epigrammata mihi suadent id Sacerdotium Annale fuisse, & ad

& ad Collegium Augustalium pertinuisse prorogare Sacerdotium ad quinquennium, an autem perpetuo, compertum non habeo: quamobrem mirum non videatur, si ex vetustis saxis multiplicitas Sevirorum Augustalium insurgat, dum Sevirales omnes munere quamvis functi, titulum honoris gratia retinebant, & palàm ejus dignitatis nomine inscribebantur uti viris docti arridet Fabretto maxime, & Cardinali Norisio, apud quos cætera. Ex his itaque patuit Augusti Templum, Augustales, qui ejus sacrificia curarent, & Augustalium Collegium Setiæ fuisse. Collegium itidem Fabrorum, cujus rei extat Epitaphium apud Sponium Antiq. pag.179., & Fabrettum Inscript. cap.9. pag.642.

D. M
C. REPSI IVSTI QVI VIX. ANN
XXXVII. M. VI. PATRON. FABRVM
COLONIAE SETINAE MARITO
BENIGNISSIMO ET INCOMPARA
BILI REPSIA CRESCENTINA VIVA
BENEMERENTI FECIT

apud Fabrettum legitur:

PATRONI FABRORVM COLONIAE SETIAE

De Collegiis ut quædam dicam locus postulat: fuerunt Sodalitates in Latio priusquam Roma conderetur; perhibent enim in Palatino Sodalitatem Pani, seu Fauno à Latinis priscis sacratam ex relatis Lib.I. Cap.26., sed an Collegia Artificum Latinis essent, non liquet, quin Romanarum rerum Scriptores ferunt Numam hæc Collegia Romæ primum instituisse, Plutarcho in Numa teste: *Divisit autem*, is inquit, *secundum artificia, ut suum peculiare corpus haberent Tibicines, suum Artifices, Architecti, Tinctores, Sutores, Coriarii, Fabri ærarii, Figuli; reliquas artes etiam singulas omnes in unum suum quemque corpus redegit. Porro unicuique generi suo peculiares conventus, & religiones præscribens: tum*

primum ita ex Urbe ſubſtulit eam diverſitatem, qua alii Romani alii Sabini, hi Romuli, illi Tatii Cives cenſebantur, ſuaque diviſione id conſequutus eſt, ut omnibus cum omnibus conveniret, ac commercia intercederent: Hæc Plutarchus ex cujus verbis, & cauſa conſtituendi, & nomina Collegiorum intelliguntur. Ab ea ætate ad excidium uſque Imperii Romani ea Collegia Romæ, & in Coloniis manſiſſe palàm eſt, immo & aucta, quum Collegii Tibicinum Valerius Maximus, Fabrum ærarium Plinius lib. 34. cap. 1., Figulorum idem Plinius lib. 35. cap. 6., Viatorum Aulus Gellius Noctium Atticarum lib. 12. cap. 3., Piſtorum, Navicularіorum, & Fabricenſium, Cerariorum, & Librariorum, Lictorum, Olcariorum, Dendrophorum, Lenuncularіorum, Menſorum, Frumentariorum, Argentariorum, Scaphariorum, & his ſimilium Codicis, & Pandectarum libri, necnon elogia antiqua, Oſtienſe maxime apud Fabrettum Inſcription. cap. 10. pag. 731. meminerint.

Quod vero jus habuerint hujuſcemodi Collegia Romæ, & in Coloniis, oſtendit Cajus J.C. in l. 1. ff. quod cujuſque univerſitatis nomine, vel contra eam agatur: *Collegia*, ait, *Romæ certa ſunt, quorum corpus Senatus conſulto, & conſtitutionibus principalibus confirmatum eſt, veluti Piſtorum, & quorumdam aliorum, & Navicularіorum, qui & in Provinciis ſunt: quibus autem permiſſum eſt corpus habere Collegii, vel ſocietatis ad exemplar Reipublicæ, habere res communes, arcam communem, & actorem ſive Syndicum, per quem tanquam in Republica quod communiter agi, fieri oporteat, agatur, fiat &c.* Hactenus Cajus, qui in l. ultima ff. de Collegiis ſubdit: *Sodales ſunt qui ejuſdem Collegii ſunt. His autem poteſtatem facit lex, privatas inter ſe pactiones arbitratu ſuo ineundi, cum eo tamen, ne communem illam totius Collegii, ſive ordinis legem violent*: quibus conſentit Scœvola in l. Pater filium ff. de legatis tertio, & Paulus in l. cum Senatui ff. de rebus dubiis, qui addunt hæc Collegia potuiſſe manumittere, legatum capere, & leges ſibi ferre, dummodo ne quid ex publicis legibus corrumperetur. Neque poterat Magiſtratus Coloniæ Collegia hæc inſtituere, quoniam id Senatui, aut Cæſari erat reſervatum, ſi credimus Marciano J. C. in l. Collegia §. In Summa ff. de Collegiis, quem tamen

viri

viri docti ita interpretantur, ut ex Senatus consulti cujusque Coloniæ auctoritate, vel Cæsarum, Collegia instituerentur.

Epulabantur Sodales quotannis statis diebus ex Cicerone in lib. de Senectute: habebant plerumque ædem sacram, & sacra faciendi jus, quemadmodum Fabrettus Inscript. cap. 6. pag. 449. scribit, & notatur in l. 1. ff. de Collegiis ad finem: magistrum itidem, qui annalis erat, & ex indulgentia quinquennalis esse poterat, ut probat Epigramma apud eundem Fabrettum cap. 6. pag. 437.

L. AQVILLIVS D. L.
MODESTVS MAGISTER
QVINQVENNALIS COLLEGII FABRORVM
TIGNVARIORVM OSTIENSIVM LVSTRI II.
ISDEM AVGVSTALIS FECIT
SIBI ET
AQVILLIAE L. F. APTAE PATRONAE ET
SVIS LIBERTIS, LIBERTABVS

& præter actorem, aut syndicum, Patronum, qui Romæ in arduis, Sodalibus & Collegio faveret, quemadmodum Coloniæ ipsæ & Respublica sibi adsciscere consueverunt Patronos, qui apud Senatum Romanum, & Cæsares ejus Populi fautores essent, quod lapides prisci suo loco referendi manifestum faciunt. Quæ dicta sint ad Collegium fabrorum Coloniæ Setinæ, cujus Patronus C. Repsius Justus inscribitur, illustrandum.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Agro Setino.

POst lustratam Urbem, ædesque sacras, & publicas, Setinorum agrum describere aggredior. Ejus, qui amplus est & celebris quum propter antiquas Urbes, tum ob Rura Romanorum, quæ in eo erant, meminit Cicero in Orat. 2. de lege Agraria, qua Rullum ita exagitavit: *Libet agros emi, primùm quæro quos agros? & quibus in locis! nolo suspensam, & incertam plebem Romanam obscura spe, & cæca expectatione pendere: Albanus Ager est, Setinus, Pivernas, Fundanus, Vescinus, Falernus, Linternus, Cumanus, Casinas. Habes tantam pecuniam, qua hosce omnes agros, & cæteros horum similes non modò emere, verùm etiam coacervare possis:* Martialis itidem lib. 9. Epigr. ad Pastorem sic canens:

Credis ob hoc me Pastor opes fortasse rogare
Propter quod vulgus, crassaque turba rogat.
Ut Setina meos consumat gleba ligones,
Et sonet innumera compede Tuscus ager.

& lib. 4. Epigr. 64.

Vos nunc omnia parva qui putatis
Centeno gelidum ligone Tibur
Vel Prænestе domate pendulamque
Uni deditæ Setiam colono.

His utique innuit quanta esset opinio apud Romanos Setinorum agri qui protenditur ad septuaginta mille passus, nam incipit mare versùs à Castro Aquæ putridæ paulò post locum quem vulgo *Portone d' Acqua puzza* appellant, & desinit in agros Terracinensem, Circæjensem, & Privernatem, dein circundat montes Setinos, aliosque illis adjacentes, & pertingit summitatem Lepinorum montium, à quibus locis conterminos habet agrum Carpineti, Rocchæ Augurgæ, Basseani, & Sirmineti. Itaque Setinus ager longitudine sexdecim & ultrà mille passus, aliquibus vero locis decem, & octo mil-

mille, latitudine duodecim mille passus extenditur. In hoc situ erant Pometia quæ Suessa Pometia, Aurunca, & Ausonia dicta; Apiolæ, Polusca, Longula, & Forum Appii, Fossa Neronis, Diversorium clari nominis Medias dictum, Via Appia, quæ adhuc illic visitur integra, Decennovium, & Regeta. Atque hæc est brevis veteris Regionis situs descriptio. Verum quum in sequentibus de hisce fusiùs simus tractaturi, relictis ambagibus recto tramite Urbium, & locorum prædictorum situm, & originem enarrare prosequamur.

CAPUT IX.

De Pometia seu Suessa Pometia, quæ etiam Aurunca, & Suessa Camena, Latinorum priscorum Urbe in agro Setino posita.

QUamvis plures clari nominis viri Pometiam in Campania constituant, palàm tamen est eam Urbem Romanæ gentis initiis florentissimam in prisco Latio, & in Pometina palude sitam. Patuit ex relatis Lib. I. Latii Profani Cap. 2. Pometiam urbibus Latii antiqui accensitam, eam enim Coloniam deduxit Latinus Silvius Albanorum Rex testimonio Auctoris Origin. Gent. Roman., & Virgilii lib. 6. Æneid. qui exhibens Sibyllam genus Æneæ vaticinantem, sic canit:

Hi tibi Nomentum, & Gabios, Urbemque Fidenam
Hi Collatinas imponent montibus arces,
Pometios, castrumque Inui, Bolamque, Coramque:

ubi Servius, aliique interpretes notant Pometinos populos antiqui Latii accolas fuisse; & quamquam Strabo lib. 5. hæc habeat: *Volscorum Pometiorum ager præclarus, fuit finitimus Latinis*, Livius itidem lib. 2. referat Pometinos Volscorum Populis addictos; nihilominus compertum est Pometiam in prisco Latio sitam Albanis Regibus paruisse, ejusque Cives Latinorum Conciliis in Ferentino luco adfuisse, uti jam d. Cap. 2. probavimus, ubi subjecimus Antiates, Coriolanos, Satricanos, Longulanos, Veliternos, Polusçanos, Circæjenses,

&

& Coranos in Volſcorum agro poſitos Latinis priſcis accenſitos, quod eorum Urbes ab Albanis Regibus Coloniæ deductæ ſitæ eſſent in illo tractu Latii antiqui, qui à Tiberi Circæjos uſque protendebatur teſte Plinio lib. 3. cap. 5. ſive 9., Strabone, & aliis adductis Lib. I. Latii Profani Cap. 1. Quandoquidem Volſci, qui Pometinum agrum incolebant citra Ufentem, & uſque ad Circæjenſis agri limites, Latini nominis expertes fuerunt, ſecus ii qui ultra Ufentem Tarracinam verſus Oppida tenuerunt quemadmodum Lib. I. Cap. 2. diximus. Itaque Plinius, Dionyſius, Auctor Orig. Gent. Rom., Virgilius, Sigonius, Ligorius, & alii laudato Cap. 2. relati memoriæ mandarunt Pometiam, à qua Pometina ſeu Pomptina Tribus, & Pometina Palus, Latii antiqui præclaram fuiſſe Urbem, originemque ſuam ad primos Latii priſci habitatores retuliſſe.

His jactis, ejus Urbis ſitum luſtremus. Sunt qui dicant Pometiam inter Tarracinam, & Privernum poſitam, quorum nomina honoris cauſa prætereo, quum horum lapſus ſatis inde pateat, quod Populi, qui in Volſcorum agro ultra Ufentem inter Tarracinenſes, & Privernates terminos erant in concilia Latinorum haud convenirent, neque Genti Latinæ eſſent adſcripti. Ergo ut Pometiæ ſitus reſpondeat finibus Latini agri à Plinio, Strabone, aliiſque deſcriptis, dicendum eſt eum fuiſſe inter Circæjum, & Ufentem. Putant plerique Urbem hanc poſitam in Setinorum agro eo loci, quem accolæ *Palatium* vocant, ubi rudera antiquorum murorum adhuc viſuntur. Hos fefellit Strabo lib. 5. *Sinueſſa*, is ait, *in ſinu Setino ſita eſt, & à ſitu nomen gerit, in proximo Thermæ ad quoſdam morbos pellendos efficaciſſimæ*: Hinc legentes loco *Sinueſſam*, *Sueſſam*, quæ eadem & Pometia, arguunt ſitum à Srabone enunciatum congruere laudato loco, quem *Palatium* nuncupant; diſtat enim ille à Setia tribus milliariis, poſituſque eſt in extremitate Pomptinæ Paludis, & proximæ illi ſunt Thermæ, quarum rudera apparent in Territorio, quod vulgo nominant *Pantanello* ſub monte Setino prope viam, quæ Neapolim nunc ducit: de quibus Thermis meminit Paulus Merula Coſmograph. par. 2. lib. 4. pag. 833.. *Inter Setiam, & Caſas novas apparent in radice montis veteris ædificii ruinæ in Circi modum factæ*, mendosè tamen, ut puto quum rude-

ra,

ra, non Circum, ſed Thermas exhibeant, ut in typo ſuo loco ſubjiciendo.

Iſtos erroris inſimulo, quum Strabo de Sinueſſa loquatur & de ſinu Setano juxta lectionem quorundam, Veſcino verius: en Strabonis verba ex caſtigatioribus codicibus deprompta: *Sinueſſa in ſinu Veſcino ſita eſt, & à ſitu nomen gerit*, uti legit Peregrinus in Apparatu antiquæ Capuæ diſc. 2. cap. 9. de Sinueſſa, & memorat Joſephus Sanfelicius de Origin. & Sit. Campan. pag. 7., ubi ſubdit, prope eam Urbem in ſinu Veſcino, & Sueſſano emanare balneas, quas memoriæ proditum eſt mulierum ſterilitati ſuccurrere. Kircherus in Latio lib. 4. cap. 1. ſcribit Pometiam poſitam inter Circæjum, & Aſturam in Lacu, qui *il Lago di Fogliano* vulgo dicitur, perperam tamen, contra enim Strabo lib. 5. qui Latii priſci agros deſcribens hæc habet: *Totum Latium felix eſt, & omnium rerum ferax, demptis paucis quibuſdam locis maritimis, quæ paludoſa ſunt, & morboſa, ut Ardeatium Ager, & quod eſt intra Antium, ac Lavinium, uſque ad Pometiam, & Setini agri quædam, ac circa Tarracinam, & Circæjum*, & infra: *ſequitur littus importuoſum, & ad ipſos tantum Circæjos portu præditum. Supra in Mediterraneis eſt Pometius campus*, unde arguitur Pometiam nuſquam mari adjeciſſe, quin in Mediterraneis poſitam, & Setino agro conterminam.

Holſtenius in Notis ad Italiam antiquam Cluverii pag. 216. inter Velitras, & Sueſſam Pometiam, Ulubras ponit, in quo Oppido Cajum Octavium educatum ferunt, quæ Urbs quum non longe à Velitris diſtaret, intelligitur Holſtenium Pometiam potius in Coranorum, vel Antiatum agro poſuiſſe. Sic Cluverius ipſe lib. 3. pag. 1025. circa Coram, & Velitras eam collocat. Ego arbitror Pometiam ſitam in moderno Setinorum agro eo loci, quem accolæ *Meſam* vocant, in antiquis Setinorum monumentis *Metia* dicti. In hoc quippe ſitu, ubi nunc eſt Piſcina Capituli Setini, rudera apparent inſignis Urbis, quamquam magna eorum pars ſubmerſa jaceat, inter quæ aſſurgit Mauſoleum marmoribus quadratis compactum, cujus unumquodque latus eſt longitudinis palmorum centum. Ex forma, & columnis, ac baſibus apparet illud ſtatuis ornatum. Columnæ ſunt ordinis Dorici, & moles ſimilis eſt Pyramidi Ceſtii, &

ita conſtructa, ut è lato in acutum tendat in formam flammæ, quæ ima ſui parte latior, in acuminatum deſinit faſtigium, uti patet ex typo, quem hic ſubiicio.

Situs hic diſtat à Foro Appii per Appiam, cui adjacet ſex milliariis & ſic à Roma per Appiam quadraginta novem circiter mille paſſibus, eſtque in meditullio Pometinorum agrorum, in mediterraneis & in priſco Latio, à mari, & Circæiis ſpatio ſeptem mille paſſuum remotus, & priſco Setinorum agro conterminus: quo fit illi reſpondere Strabonis, & cæterorum Antiquorum omnium ſententiam, qui Pometiam in meditullio Pometinorum agrorum ponunt & Circæjum in Pometino campo poſitum adfirmant ex Dionyſio lib.4. *Circæjum autem conſulto deduxit Tarquinius Coloniam, quod in Pometinorum campo totius Latii maximo, locus is opportune ad mare ſitus eſſet*. Id ipſum innuit dimidiatum nomen, quo vocitatus eſt is locus, *Metia* nempe, nunc corrupto nomine *Meſa*.

Nec eſt cur aliquis dicat eum locum *Metia* antiquitus, modo *Meſa* dictum, fuiſſe Diverſorium *Medias* nuncupatum, cujus meminit Hieroſolymitanum Itinerarium apud Holſtenium in Italiam Antiquam Cluver. pag.218.

Roma Ariciam	XVI.
Tres Tabernas	V.
Spontas	XIV.
Appi Forum	VII.
Medias	IX.
Terracinam	X.
	LXI.

nam juxta calculum Itinerarii Diverſorium illud quinquaginta & uno milliario ab Urbe diſtabat, & Appii foro novem, qui calculus non reſpondet eidem ſitui, qui, ut diximus, quadraginta novem mille paſſibus circiter Roma,& ſex mille ab Appii foro diſtat:quin immenſa moles ruderum, quæ inter fauces Paludis Pomptinæ ibidem ſubmerſa viſuntur, ſatis innuit eo loci non ſimplex Diverſorium, ſed florentiſſimam extitiſſe Urbem.

Vin-

Vindicato è tenebris ſitu Sueſſæ Pometiæ, nunc operæ pretium eſt inquirere, an hæc Urbs fuerit eadem ac Sueſſa Auruncorum, & Sueſſa Camena, ſeu Auſonia, vel Aurunca. Scio me magnum vadare pelagus, quum in hac re clari nominis Scriptores Sueſſam Auruncorum, ſeu Camenam fecerint Urbem in Campania ſitam. At ego puto Pometiam, Sueſſam Auruncorum, & Camenam unam eandemque fuiſſe, & ſecus opinantes hallucinatos. Quæſtio orta eſt ex Livio lib.8.ubi ait: *Inter Sidicinos, Auruncoſque bellum ortum, Aurunci à T. Manlio Conſule in deditionem accepti, nihil deinde moverant: eo petendi auxilii à Romanis cauſa juſtior fuit, ſed prius quam Coſs. ab Urbe defendendi Auruncos exercitum deducerent, fama affertur Auruncos metu Oppidum deſerviſſe, profugoſque cum conjugibus, ac liberis, Sueſſam communiſſe, quæ nunc Aurunca appellata ob mœnia antiqua eorum, Urbemque ab Sidicinis deletam.* Hinc Camillus Peregrinus in Apparatu antiq.Capuæ diſc.2. cap.37., Cluverius Antiq.Ital. lib.3.pag.1023.ad finem, Antonius Sanfelicius de Origine & ſitu Campaniæ aliique ſcribunt, Auruncam in Campania ſitam, Auruncoſque populos Sueſſam Liri amni proximam Urbem incoluiſſe. Hærent & hi Virgilio lib.7.Æneidos, qui Campanos deſcribens ita canit:

. . . . . *vertunt felicia Baccho*
Marſica qui raſtris, & quos de montibus altis
Aurunci miſere Patres Sidicinaque juxta
Æquora, quique Cales linquunt . . . .

ajuntque Auruncos ex Maronis ſententia altos montes Sidicinis finitimos incoluiſſe, inſulſum propterea eſſe Auruncam à Sidicinis deletam, cujus meminit Livius, in Pometino agro ſtatuere.

His addunt Auruncam Auſoniam dictam, quod finitima eſſet Auſoniæ genti, quæ Cales Urbem habitabat, uti Auctor eſt Livius lib.8.: *Inſequens annus L. Papirio Craſſo, K. Duilio Coſs. Auſonum magis novo, quam magno bello fuit inſignis: ea gens Cales Urbem incolebat, Sidicinis finitimis arma conjunxerat*: quod refert etiam Paulus Diaconus hiſtor.Longobard.lib.2. cap.11.ſive 24. *Italia*, is ait, *etiam Auſonia dicitur ab Auſone Ulyſſis filio. Primitus tamen Beneventana Regio hoc nomine appellata eſt, poſtea vero tota*

ſic

ſic cæpit Italia vocitari. Ad horum lapſum evincendum hæc ſubiicio ex antiquis auctoribus. Plinius lib. 3. cap. 9. ſive 5. *Latium antiquum*, inquit, *à Tiberi Circæjos ſervatum eſt mille paſſuum quinquaginta longitudine*; *Colonis ſepæ mutatis tenuere alii aliis temporibus Aborigines*, *Pelaſgi*, *Arcades*, *Siculi*, *Aurunci*, *Rutuli*, & *ultra Circæjos*, *Volſci*, *Oſci*, *Auſones*, *unde nomen Latii proceſſit ad Lirim amnem*: quo fit Plinium Latium priſcum à novo diſtinguentem, dilucidè adfirmare Auruncos Latium priſcum incoluiſſe. Conſentit & Dionyſius, qui lib. 1. Pelaſgorum adventum memorans ait: *Tenuerunt hi* (Pelaſgi ſcilicet) & *Campanorum quos vocant Camporum partem quandam non exiguam*, *pulſis inde Auruncis gente barbara*: unde habemus Auruncos, & Latium, & Campaniam habitaſſe, idque Virgilius prodit illis carminibus:

Agmina denſantur campis Argivaque pubes,
Auruncæque manus, *Rutuli*, *veteresque Sicani*:

quibus Poëta Latinos adverſus Æneam bellantes refert, & Aulus Gellius lib. 1. Noctium Atticarum cap. 10., aliique Lib. I. Cap. 1. Lat. Profan. relati, Auruncos inter Latii priſci habitatores numerantes. Quamobrem Ioſeph Scaliger vir antiquarum rerum optime gnarus in Notis ad Feſtum verbo *Aruns* & voce *Auſonia*, Auruncos veteres Latii populos ideo dictos putat, quod ii à ſedibus ſuis avulſi eſſent, & Voſſius de Idololatr. lib. 1. cap. 40. ait: *Auruncos excipit ad occaſum Pontinus ager*, *ſive Pometinus*, *ſic à Civitate Sueſſa Pometia nuncupatus*: *in hoc Circæjum promontorium*, & *Oppidum Circæi*.

Ex his clarum fit Auruncos veteres Latii populos in eo tractu inter Ufentem, & Circæjos fuiſſe, incoluiſſe etiam Campanos agros. Sic Auſones loca Pometino agro finitima habitarunt, & partem Campani agri cis Lirim tenuerunt teſte Strabone lib. 5.: *Supra in Mediterraneis eſt Pometius campus*. *Huic contiguam regionem prius Auſones habitarunt*, *qui iidem Campaniam quoque tenuerunt*. *Poſt hos Oſci ſunt*, *qui & ipſi partem Campaniæ tenuerunt*. Hactenus Strabo apertiſſime commemorans Auſones primum regionem illam, quæ eſt inter Pometinum agrum, & Oſcos coluiſſe. Quin ferunt eos intra Latii priſci fines habitaſſe. Virgilius enim lib. 8. Æneid. Auſones priſcis Latinis accenſet hiſce carminibus:

Tunc

Tunc manus Ausoniæ, & gentes venere Sicanæ
Sæpius, & nomen posuit Saturnia tellus,

& lib. 7. ad principium:

Quis Latio antiquo fuerit status advena classem
Cum primum Ausoniis exercitus appulit oris
Expediam . . . . . ,

& infra:

Multi illam magno è Latio, totaque petebant
Ausonia . . . . . .

ubi interpretes notant Latium Ausoniam quoque dictum, quod Ausones ejus Regionis accolæ fuerint, quamquam eos extra fines prisci Latii fuisse sint qui commemorent, & Ausoniam primum vocitatam eam partem Italiæ, in qua sunt Urbes Beneventum, & Cales ex Festo lib. 1. voce *Ausonia*, & aliis, quorum tamen lectionem incertam dicimus, quod Strabo secus affirmet, & verosimilius sit antiquam Ausonam eorum populorum Urbem, cujus situm nemo prodit, non procul à Circæjensi agro fuisse; eam enim condidisse fertur Auson Ulyssis, & Calypsus filius ex Festo lib. 1., quam Homerus Odyss. lib. 5. Nympham Oceani, & Thetyos filiam, quæ Ulyssem naufragum humaniter excepit, facit, seu potius Auson Ulyssis, & Circes filius ex Servio in lib. 8. Æneid. ad carmina mox relata, quod & referunt Tzetzes Hist. Chiliade 5., Rickius de Antiq. Ital. Colon. cap. 2. ad princ. quamvis infra ex Stephano apud Eustathium in Dionysium vers. 78. ex Atlante, & Calypso Ausona ortum tradat, & Pighius Annal. lib. 4. ad annum 413. ad finem Itali filium Ausona putarit. Ergo ex Servio, immo ex Homero habes unum ex Ulyssis, & Circes, vel Calypsus filium eam Urbem condidisse. Facile itaque est in Latio non procul à Circæjo, quod Ulysses incoluit, ejus filium Ausonam ædificasse, quippe memoriæ proditum est tres filios Ulyssis, & Circes, Romum, Antiam, & Ardeam, tres Urbes in prisco Latio ab eorum nominibus dictas condidisse, uti Auctor est Xenagoras apud Dionysium lib. 1.

Quæ dicta sint non ad asserendum situm, & conditorem Ausonæ Urbis, sed ad evincendum Ausones prisci Latii habitatores fuisse, eamque partem agri inter Pometinum, & Oscum non procul

ab

ab Anxure, Campanorum etiam Regionem tenuiſſe, quemadmodum & Auruncos; unde error irrepſit, quod Aurunci, & Auſones nuſquam antiquum Latium, vel agrum illi conterminum incoluerint. Hinc quoque plurium lapſus, putantium Sueſſam in antiquo Latio haud fuiſſe, quos tamen inſimulat Dionyſius lib.4., ubi de Tarquinio loquens, hanc rem narrat: *Pervaſtato Hoſtico & profligatis qui auſi eſſent aciem congredi, contra Pometinos duxit qui Sueſſam incolebant, omnium vicinorum populorum florentiſſimi, eoque moleſti cæteris*: Pometini itaque everſa fortaſſe Pometia vetuſtiſſima Albanorum Colonia, Sueſſam in Pometino, & Latinorum agro ſitam commearunt, quæ Urbs dein Sueſſa Pometia dicta eſt, quod Pometini illam inhabitarent. Quamobrem intelligitur Livius lib. 1. pluribuſque locis infra adducendis, Dionyſius etiam, qui eam Urbem Sueſſam Pometiam, Sueſſam, & Pometiam appellant.

At cur Sueſſa Aruncorum, vel Aurunca, & Sueſſa Auſonia, ſeu Camena dicta ſit, non omnes recte norunt. Livius lib. 8. à cujus lectione hujus rei pendet hiſtoria, Sueſſam, Auruncam dictam prodit, quod in eam conveniſſent Aurunci Sidicinorum iram metuentes, quod factum is refert *ob mœnia antiqua eorum* (Auruncorum ſcilicet) *Urbemque à Sidicinis deletam*. Sigonius Scholiis in lib.8. Livii num.245. hæc ſubjicit: *Recte inquit Auruncos Oppidum antiquum ſuum deſerviſſe, ac profugiſſe. Nomen autem ejus Oppidi Aurunca fortaſſe fuit, quo deinde nomine Sueſſa etiam affecta eſt, ſic Auſonum fuit Oppidum Auſona*: quibus innuit Sigonius obſcurum eſſe apud Livium, an Urbs à Sidicinis everſa Aurunca diceretur.

Plana eſt lectio Livii, ſed quis revelaverit Auruncos populos quorum ille mentionem fecit, & Urbem à Sidicinis deletam in Campania fuiſſe, non autem in priſco Latio ipſi viderint, qui id pro certo habent. Mihi ſane ex toto contextu Liviani Codicis, atque ex Dionyſio, compertum eſt Livium eo loci loquutum de Auruncis priſci Latii accolis, & de eorum Urbe Pometino agro contermina; neque me terret Sidicinos Campanos agros tenuiſſe; nam meminiſſe juvet Sidicinam gentem Oſcam, eoſque populos inter Volſcos, & Cam-

Campanos, agrum tenuiſſe, ut Scholiaſtes Strabonis lib. 5., & Sigonius Scholiis in lib. 8. Livii num. 248. commemorant : *Sidicinorum*, hic inquit, *legendum, qui populi fuerunt inter Volſcos, & Campanos*; quare hi populi non procul à Pometino, & Auruncis finitimis Pometino erant, immo (quemadmodum ſæpe legitur apud Livium,) quum pateat Auruncos Romanorum ætate Ariciam uſque agmine infeſto penetraſſe, nemo non videt Sidicinos in Pometinorum agrum, vel Auruncorum illi conterminum irruere potuiſſe.

Sed ad evincendum errorem eorum, qui hiſce incertis hærent argumentis, ſatis ſit referre Livium lib.2. hæc habentem: *Eodem anno duæ Coloniæ Latinæ Pometia, & Cora ad Auruncos deficiunt*. Hic loquitur Livius apertis verbis de Pometia, & Cora in priſco Latio ſitis, eaſque Urbes in deditionem Auruncorum veniſſe memorat, quod innuit eam gentem Pometinis finitimam. His addatur id quod narrat idem Livius lib.2.: *Sic Conſul cum maxima gloria ſua victorem exercitum Romam reducit, decedentem Romam Echetranorum Volſcorum Legati rebus ſuis timentes poſt Pometiam captam, adeunt; his ex S.C. data pax eſt, ager ademptus*, & paulò poſt, *poſtero die in magna jam ſpe undique partæ pacis, Legati Aurunci Senatum adeunt, ni decedatur Volſco agro bellum indicentes: Cum Legatis ſimul exercitus Auruncorum domo profectus erat, cujus fama haud procul ab Aricia viſi, tanto tumultu concivit Romanos, ut nec Conſuli ordine Patres, nec paratum reſponſum arma inferentibus, arma ipſi capientes dare poſſent. Ariciam infeſto agmine itur, nec procul inde cum Auruncis ſigna collata*: & prodit his verbis Dionyſius lib.6.: *Romanis adhuc feſtum celebrantibus, Legati ab Auruncis venerunt, qui agri Campani pulcherrimam planiciem tenebant: Legati in Senatum introducti, poſtularunt, ut ſibi reſtituerent agrum Volſcorum, qui Echetrani vocabantur, quem Romani Echetranis ademerant, quæ niſi feciſſent brevi in agrum Romanorum venturos, & pœnas pro iniuriis, quas populis finitimis intulerant ſumpturos*. Hinc res in propatulo eſt; quid enim timere potuiſſent rebus ſuis Echetrani Pometia capta ut ait Livius, ſi procul ab ea habitaſſent, & Pometinis contermini nequaquam fuiſſent? Itidem ſi Aurunci finitimi erant Echetranis quemadmodum Dionyſius ſcribit,

palàm eſt eos haud procul à Pometino agro habitaſſe, quamquam Dionyſius eos accolas Campani agri referat, nam patuit Auruncorum magnam partem Campaniam incoluiſſe, reliqua ejus gentis portione, à qua illa propagata erat, Latii priſci agrum habitante : ſecus falsò Dionyſius retuliſſet Echetranos Volſcæ gentis proximos Pometinis, finitimos Auruncis fuiſſe, quum Aurunci cis Lirim Campaniam tenentes ex Peregrino pag.445. Sanfelicio, & aliis à Volſcorum agro, & Pometinorum finibus longe diſtarent. Hinc lapſus multorum, qui populos antiquos certis finibus circumſcribentes, in hac re plurimùm ſe involuerunt. Quum tamen liqueat Volſcos, Sabinos, Æquos, & ſimiles numeratos Lib.I. Latii Profani Cap.2. extra Latii fines fuiſſe, quanquam illorum quædam Urbes partem Latini agri tenerent, & Latinæ eſſent.

Hanc rem, ni fallor apertè Livius lib.9., aliis 10. probat, is enim anno ab V.C. CDXLI., quem Pighius facit annum CDXL., L.Papirio Curſore V. & C. Junio Bubulco Coſs. has Colonias deductas refert : *Sueſſam, & Pontiam eodem anno Coloniæ deductæ ſunt. Sueſſa Auruncorum fuerat, Volſci Pontiam Inſulam ſitam in conſpectu littoris ſui incoluerunt.* Hic locus Livii Sueſſæ in Campania ſitæ nequaquam congruit, & de ſola Sueſſa, quam Sueſſam Pometiam quoque dictam probavimus intelligi debet. *Sueſſa hæc Auruncorum fuerat* juxta Livium, quod, ut ipſe lib.2. prodit, Sueſſa Pometia ad Auruncos defeciſſet, & ſic Aurunci eam tenuiſſent ab Anno V. C. CCL. P. Poſtumio Tuberto II. & Agrippa Menennio Lanato Coſs.. Quod ſi dicas ideo Livium commemorare Sueſſam Auruncorum fuiſſe, quod Aurunci eorum Urbe everſa à Sidicinis illuc commigraſſent, ſtatim intelliges id futile eſſe, quum Livius, & Dionyſius referant Auruncos iram Sidicinorum fugientes Sueſſam haud occupaſſe, aut vi cepiſſe, ſed illuc tantummodo commeaſſe uti Sigonius in Livium eo loci advertit. Quamobrem oſcitanter Livius eam Urbem ad Auruncos ſpectaſſe dixiſſet, quando Aurunci Sueſſa potiti non fuerant, ſed mixti cum Sueſſanis eam inhabitaverant. Nemo itaque non videt planam lectionem Livii, nam quum ad Auruncos Sueſſa Pometia pertinuiſſet anno V.C. CCL., dein à Romanis occupata, idcirco Livius utitur iis verbis : *Sueſſa Auruncorum fuerat,*

rat, ætate enim illa, qua Quirites eam Coloniam deduxiſſe ait Livius, Auruncorum amplius non erat, quamvis palàm ſit tunc quoque cum Sueſſanis Auruncos mixtos illam incoluiſſe; quamobrem facile Aurunci à Sidicinis pulſi Sueſſam Pometiam eorum factionis cum fortunis ſuis commigrare potuerunt paulò ſeriùs poſtquam ea ad Auruncos defecerat.

Immo ſi Livius eo loci de Sueſſa Pometia non loquitur, non invenio poſt diviſionem Pometini agri, & poſt Pometinam Tribum additam, hanc Urbem Coloniam deductam, quæ res admirationi erit. Pontiam, & Sueſſam eodem anno, & ſimul deductas Livius memorat; at Pontia, à qua plures falsò referunt Pometinam, ſeu Pomptinam Tribum dictam, & Pometinum agrum, erat in conſpectu litoris Voſci in mari ſita, & Inſula, uti Livius narrat, & nunc etiam hæc Inſula in conſpectu extremitatis Pometini agri viſitur, ac Sigonius in Livium lib. 10. num. 277., Glareanus, & alii notant. Ergo Pometinus ager, & Pometina, ſeu Pomptina Tribus, non à Pontia quæ ab agro Pometino longo intervallo, & à mari ſejungitur, ſed à Pometia, quæ eadem ac Sueſſa Pometinorum, dicta eſt, uti etiam arridet Ligorio in MSS. Otthobonianis voce *Tribus Setina*, Cluverio Ital. antiq. lib. 3. pag. 1024., Sigonio de Jure antiq. Civ. Roman. lib. 1. cap. 3. num. 30., Voſſio de Idololatr. lib. 1. cap. 40., Roſino Antiq. Roman. lib. 6. cap. 15., Paulo Manutio, cæteriſque doctis viris, qui Feſti lectionem contrariam mendoſam aſſerunt.

Quo fit, diviſo per Quinqueviros Pometino agro, & anno V. C. CCCXIV. addicta Tribu Pomptina, ſeu Pometina à Pometia dicta, quamvis alii id factum referant anno CCCXCVII. ex Livio lib. 6. & 7., aſſeri nequaquam poſſe Pometiam Urbem non incelebrem, & in meditullio agri Pometini ſitam, à qua Tribus denominata, Coloniam poſt hæc deductam haud fuiſſe. Sed regeret forte aliquis: Si Pometia Colonia Latina jam à Romanis deducta fuerat initiis Romanæ gentis ex Livio lib. 2. cujus verba ſuperius retulimus, opus non erat eam iterum poſt Pometinam Tribum additam deducere, quin fortaſſe Pometia tunc everſa erat, nam ætate Plinii neque ejus veſtigia cernebantur, ut ille refert lib. 3. cap. 5., & Peregrinus autumat. Verum nemo ita arguet, qui apud Dionyſium,

Livium, & Romanos Scriptores legerit Sueſſam Pometiam anno V.C. CDXLI. floruiſſe, ut infra referam & præ cæteris hujus rei teſtis eſt Silius lib. 8. qui commemorans Colonias quæ Romanis adverſus Annibalem præſto fuerant, ita canit:

. . . . . *nec monte nivoſo*
Deſcendens Atina aberat, detritaque bellis
Sueſſa, atque à duro Fruſino haud imbellis aratro:

Scio Peregrinum hoſce verſus Silii ad ſuam Sueſſam trahere. Verumtamen miror virum tam diligentem præteriiſſe, quod Sueſſa Pometia ſæpe ſæpiùs à Romanis diruta, ut infra dicam, optimè à Silio bellis detrita vocitari poterat, ſecus Sueſſa Campanorum cis Lirim, quin Strabo lib. 5. Sueſſæ in Pometino ſua ætate meminit: *Ante hanc*, inquit, Setiam ſcilicet, *Privernum*, *& Cora*, *& Sueſſa*, *Trapontium*, *Velitræ*, *Aletrium*, *& Fregellæ*, *quam Urbem præterit Liris fluvius ad Minturnas ſe effundens*, & paulò ante eam nuncupat Volſcorum caput. Plinius vero Pometiæ meminit, quæ, uti ex Dionyſio ſuperius diximus, everſa funditus jacuit, & cujus Cives, qui Sueſſam proximam Urbem commearunt, nomen Sueſſæ Pometiæ ſeu Sueſſæ Pometinæ illi indiderunt.

Ceterum qui noverit Romanorum mores, fateri compelletur poſt diviſum Pometinum agrum, adjectamque Pometinam Tribum, Sueſſam Pometiam in eo agro poſitam haud neglectam fuiſſe, eo præſertim quod Livius Coram, & Pometiam, Colonias Latinas aſſerit, & nemo eſt qui memoret eas à Romanis Colonias tunc deductas: immo Paterculus, Frontinus, & Panvinius Coram inter Colonias antiquas Romanorum non recenſent, quamquam priſci lapides eam Urbem municipium nominent ex Panvinio lib. 3. deſc. Imp. Romani. Præterea Cicero Orat. 2. in Rullum, & Polybius lib. 2. diligenter enumerantes omnes Romanorum Colonias circumquaque Capuam, Sueſſæ Auruncorum nullam mentionem faciunt, & Peregrinus idem fatetur: quod mihi ſuadet Sueſſam ad Lirim amnem aliam à Sueſſa Auruncorum, nam Tullius, & Polybius Urbem vetuſtam, & florentiſſimam Coloniam Lucilii patriam non reticuiſſent iis minores commemorantes: quamquam fatear Sueſſam illam à Cæſare deductam Coloniam juxta lapidem hunc apud Gruterum pag. 1093.

COLO-

COLONIA IVLIA FELIX CLASSICA SVESSA

quem lapidem Sueſſæ in Campania effoſſum teſtatur idem Gruterus, & Harduinus Scholiaſtes Plinii lib. 3. cap. 5. qui haud rectè eam Auruncam cognominatam prodit; quod intelligitur ex concione, quam Brutus occiſo Cæſare recitavit, ex Appiano lib. 2. Bellor. Civil., Dione lib. 42., & aliis quos regerit Eminentiſſimus Noriſius ad Cenotaph. Piſan. diſſert. 1. cap. 2.. Quapropter Plinius lib. 3. cap. 5. juremerito eam Coloniam appellat, quum ſua ætate jam à Cæſare eſſet deducta.

Accedit, quod Cicero Philippic. 13. narrans Antonii adventum in Urbem per Appiam hæc habet: *Prorupit ſubito Brunduſium, ut inde agmine quadrato ad Urbem accederet: lautiſſimum Oppidum nunc municipium honeſtiſſimorum quondam Colonorum, Sueſſam, fortiſſimorum militum ſanguine implevit*: ſunt qui dicant Ciceronem loquutum de Sueſſa Campanorum, quod falſum puto. Quum enim is Antonii curſus ad Urbem paulò poſt mortem Cæſaris contigiſſet, ineptè Tullius Sueſſam illam, quam Coloniam paucis interjectis annis Cæſar deduxerat, quondam Coloniam nominaſſet, & tunc municipium, maximè dum idem Orat. 2. in Rullum, (quo fortaſſe tempore neque Cæſar hanc Sueſſam, Coloniam deduxerat,) Colonias circumquaque Capuam recenſens, hujus Sueſſæ non meminit.

Quare patet Sueſſam Campanorum à Cæſare tantum Coloniam deductam, non autem anno quo Conſulatum geſſerunt L. Papirius Curſor, & C. Junius Bubulcus, quo Sueſſa ea, quæ Aurunca dicebatur deducta eſt ex Vellejo lib. 1. *deinde interjecto triennio Sueſſa Aurunca*. Hanc Frontinus de Colon. apud Panvinium lib. 3. deſcript. Imper. Roman. à Sempronio Graccho iterum deductam ſcribit: *Sueſſa*, inquit, *quæ & Aurunca dicitur muro ducta, lege Sempronia eſt deducta. Iter populo non debetur, ager ejus pro parte limitibus interceſſivis, & in Lacineis eſt adſignatus*. Hinc arguitur Frontinum verba feciſſe de Sueſſa Pometinorum, quæ & Aurunca dicta eſt,

eſt, non autem de alia Campanorum; quandoquidem is narrans lege Sempronia Sueſſam deductam, ſatis innuit id factum ex lege T. Sempronii Gracchi Tribuni Plebis, qui Triumviros agris dividendis, Coloniiſque deducendis creavit C. Gracchum fratrem, ſe, & Appium ſocerum, legemque tulit, qua vetuiſſe fertur quemquam Civem plus quingentis jugeris poſſidere ex Appiano Bell. Civil. lib. 1., & Plutarcho in Gracchis; verumtamen teſtimonio Ciceronis Orat. 2. in Rullum intelligitur Gracchos, & Sullam Campanorum agros non attigiſſe, neque illos ſuis legibus plebi Romanæ diviſiſſe: en ejus verba: *Majores noſtri non ſolum id quod de Campanis cæperant non imminuerunt, verum etiam quod tenebant, quibus adimi jure non poterat, coemerunt, qua de cauſa nec duo Gracchi, qui de plebis Romanæ commodis plurimum cogitaverunt, nec L. Sulla qui omnia ſine ulla religione, quibus voluit eſt dilargitus, agrum Campanum attingere auſus eſt*; unde conſtat Sueſſam in Pometino fuiſſe iterum lege Sempronia deductam, eamque & Auruncam dictam ex Frontino, non tamen aliam Sueſſam in Campania, quam Gracchi, qui Campanos agros non diviſerunt, Coloniam iterum deducere haud potuerunt. Et quamquam ſciam T. Sempronium longum quum Conſul eſſet plures deduxiſſe Colonias in agro Campano ex Livio lib. 34.; attamen Frontinus de hoc non loquitur, nam iſte leges non tulit, neque auctor ejus deductionis fuit. Senatus enim Colonias deduci juſſit, & Triumviros præter Sempronium creavit M. Servilium, & Q. Minutium Thermum, qui Colonias deduxerunt Puteolos, Vulturnum, Linternum, Salernum, & Buxentum, non autem Sueſſam, cujus Livius non meminit. Nec minus Frontini lectio congruit P. Sempronio Prætori, qui Triumviros creavit ad deducendas Colonias in Campanorum loca; eæ enim Coloniæ deductæ ſunt ex Plebiſcito, juſſuſque P. Sempronius à Tribunis Plebis Triumviros creare, qui Colonias deducerent Minturnam, & Sinueſſam aliam Campanorum Urbem, quæ Synope dicebatur quemadmodum legitur apud Livium lib. 10.

Quamobrem Commentatores Juvenalis Satyr. 1. ad ea carmina:

Cum tamen hoc potius libeat decurrere Campo
Per quem magnus equos Auruncæ flexit Alumnus:

&

& præ aliis Mancinellus notant Auruncam Lucilii Patriam ſitam fuiſſe in priſco Latio, quod à Tiberi Circæjos vſque ſervatum eſt, quam & Auſoniam dictam ferunt, quod Auſon Ulyſſis filius eam condidiſſe diceretur ex Feſto lib. 1., & aliis: quibus conſentit Joſephus Scaliger in Feſtum voce *Aruns*, & voce *Auſonia*, & Kircherus in Vetere & Novo Latio par. 4. cap. 1. pag. 238. quamquam Ryckius aliter referat, cujus lapſum evincit nomen ipſum Urbis, quæ Aurunca, & Auſonia denominata eſt.

Ex his unicuique patere poſſe exiſtimo Peregrinum, Sanfelicium, & Cluverium eruditiſſimos viros hallucinatos, & Sueſſam Pometiam eam fuiſſe, quæ Aurunca, & Auſonia, ſeu Camena dicta eſt. Itaque liquet hanc Urbem tres populos Latini nominis incoluiſſe, Pometinos videlicet, Sueſſanos, & Auruncos: ab ea Pomptinam, ſeu Pometinam Tribum denominatam, in quam tum ii Cives qui agrum Pometinum ſortiti erant, tum alii novi Cives, qui in dies Civitate donabantur conjecti ſunt ex Roſino Antiq. Rom. lib. 6. cap. 15.: ab ea denique Pometinum agrum, quem ferunt anno V.C. CCCLXXI. diviſum à quinqueviris tanta populi frequentia, ut Cives Romanos nuſquam ſimilis cupiditas in Colonias migrandi tenuiſſet ex Livio lib. 6., & ad fin. *De agro Pomptino à L. Sicino Tribuno Plebis actum ad frequentiorem jam populum, nobiliorem que ad cupiditatem agri quam fuerat.*

CAPUT X.

De Pometinorum cladibus; deque Lucilia, & Pomptina familiis Sueſſa Pometia oriundis.

BElla quibus Pometia, ſeu Sueſſa pluries interiit, refloruitque, hæc ſunt. Quum Tarquinius Superbus in concilio Ferentini Princeps Latinæ gentis factus eſſet, Pometini, Gabini, & quidam Latini populi ejus auctoritatem detrectarunt. Rex contra Pometinos, qui Sueſſam incolebant duxit exercitum: *Belli cauſa fuit*, inquit Dionyſius lib. 4. *quod legatis rapinarum, & latrociniorum nomine pœnas repetentibus ſuperbe*

perbe reſponderant, & erant parati hoſtem armis excipere. Initum eſt prælium in confiniis Sueſſæ, magnaque parte Pometinorum cæſa, cæteri in fugam verſi intra mænia Oppidi concluſi ſunt. Hos Tarquinius foſſa, & vallo cinxit, & poſt crebros aſſultus, ſæpius repulſus, & fruſtra tentans mænia, denique commeatu deficiente, vi expugnavit. *Potitus Urbe armatos occidit, uxores eorum cum liberis, & eos qui ſe maluerunt dedere, mancipiorumque ingentem numerum in prædam permiſit militi: cætera quoque bona quantumcunque obtingeret vel ex Urbe, vel ex agris ferre, & agere; argentum etiam, aurumque quod inveniri potuit unum in locum collatum, decimis in Templi fabricam ſepoſitis, reliquum diviſit victoribus. Tantum autem argenti, aurique repertum eſt, ut quinæ argenti minæ obvenerint ſingulis militibus; ſacratæ verò argenti decimæ explerint quadringentorum talentorum numerum,* ut ſubiicit idem Dionyſius, addens dein Tarquinium Sabinos domuiſſe, reverſumque Sueſſam, exercitum ditatum Romam reduxiſſe.

Ex hac præda fundamenta Templi Jovis Capitolini, quod Tarquinius Priſcus voverat, jacta eſſe prodit Livius lib. 1. *Sueſſamque Pometiam*, inquit, *vi cæpit ubi cum divendita præda quadraginta talenta argenti, aurique recepiſſet, concepit animo eam amplitudinem Jovis Templi, quæ digna Deum, hominumque Rege, quæ Romano Imperio, quæ ipſius etiam loci majeſtate eſſet, captivam pecuniam in ædificatione ejus Templi ſepoſuit. Inde ad negocia Urbana animum convertit, quorum erat primum ut Jovis Templum in monte Tarpejo monumentum Regni ſui, nominiſque relinqueret; Tarquinios Reges ambos patrem voviſſe, filium perfeciſſe; augebatur ad impenſas Regis animus; itaque Pometinæ manubiæ, quæ perducendo ad culmen operi deſtinatæ erant, vix in fundamenta ſuppeditavere*, quod & tradunt Dionyſius lib. 4., Strabo lib. 5. Auctor de Viris Illuſtr., & alii, quamquam Antias à quo Livius pene univerſam hauſit hiſtoriam memoriæ mandarit Tarquinium ex Apiolarum præda Capitolium inchoaſſe teſte Plinio lib. 3. cap. 5., & Piſo apud Cluverium Ital. Antiq. lib. 3. pag. 1024. ad finem, quadraginta millia pondo argenti ex Pometina præda ſepoſita fuiſſe ſcribat.

Porro quamvis Livius, & cæteri Scriptores everſionis Sueſſæ nullam

nullam mentionem faciant, attamen ex eodem Dionyſio patet eam Urbem à Tarquinio dirutam, direptamque fuiſſe; narrat enim is Pometinos Latinas Urbes, & maximè Gabinos, ad bellum contra Tarquinium ſollicitaſſe, ſubditque hæc: *Eo*, Gabios ſcilicet, *conſluxerat Pometinorum pars, quæ è Sueſſa cum dirueret eam Tarquinius, profugerat*. Hinc ſunt qui putant ab eo tempore Sueſſam Pometiam ruinis obrutam jacuiſſe ex Plinio lib. 7. cap. 26. qui, ut probaret mulieres natas cum dentibus deportatas in aliquam Urbem, ejus exitium portendiſſe, ita ſcribit: *In fœminis ea res inauſpicati fuit exempli Regum temporibus; quum ita nata eſſet Valeria, exitio Civitatis, in quam delata eſſet, futuram reſponſo Aruſpicum vaticinante, Sueſſam Pometiam illa tempeſtate florentiſſimam, deportata eſt, veridico exitu conſequuto*.

Quicquid autem ex incerta Plinii ſententia prædicti autument, mihi liquet anno V.C. CCL. vix interjectis quadraginta annis poſtquam à Tarquinio everſa fuerat, Pometiam refloruiſſe. Eo quippe anno Livius lib. 2. prodit Sueſſam Pometiam à Romanis ad Auruncos defeciſſe, dein ſubiicit: *cum Auruncis bellum initum, fuſoque ingenti exercitu omne Auruncum bellum Pometiam compulſum eſt: ſequuti Coſs. Oppiter Virginius Sp. Caſſius Pometiam primum vi, deinde vineis, aliiſque operibus oppugnaverunt: in quos Aurunci magis jam inexpiabili odio, quam ſpe aliqua, aut occaſione coorti, cum plures igni, quam ferro armati excurriſſent, cæde, incendioque cuncta complent: vineis incenſis, multis hoſtium vulneratis, & occiſis, Conſulum quoque alterum gravi vulnere ex equo dejectum prope interfecerunt*: demum relato reditu Conſulum in Urbem re mala geſta ſubiicit: *tum ira majore belli, tum viribus etiam auctis, Pometiæ arma illata, & cum vineis refectis, aliaque mole belli, jam in eo eſſet, ut in muros evaderet miles, deditio eſt facta; cæterum nihilominus fœde dedita Urbe, quam ſi capta foret: Aurunci paſſim principes ſecuri percuſſi, ſub corona vænierunt Coloni alii, Oppidum dirutum, ager væniit*. Hactenus Livius.

Verumtamen anno V.C. CCLVIII. & ſic vix interjectis ſeptem annis, iterum Pometia revixit, cæteraque Volſcæ gentis Oppida

divitiis ; & accolarum frequentia præcelluit ; nam quum Appio Claudio, & P. Servilio eo anno Consulatum gerentibus Volsci metuentes pœnam belli, quod moliebantur, tercentum primates Urbium Coræ, atque Pometiæ obsides Romanis dedissent, paulò post levati metu occultum rursus parare bellum non diffiderunt ; hos Consules fugarunt, & concluſos intra mœnia Pometiæ oppugnarunt, Oppidumque prædæ dederunt ex Livio lib.2. quam rem Dionysius lib.6. latius his verbis narrat: *Præda divisa, & Castris incensis exercitum ad proximam Urbem Suessam Pometiam duxit, nam hæc amplitudine, habitatorumqne frequentia, præterque divitiis, & gloria longe cæteras præcellebat, eratque veluti gentis Caput. Hanc obsessam noctesque, diesque sine intermissione oppugnavit, ne quid otii hosti daretur ad interquiescendum, qua contentione effecit ut fame, anxietate, ac suppetiarum defectu pressi expugnati sint intra non longum temporis spatium: capto Oppido, & interfectis omnibus, qui pubertatis annos attigissent, hic etiam militibus agere, ac ferre permisit quicquid invenirent opum.*

Ex his intelligimus Silium lib. 8. qui hanc Suessam sæpius bellis attritam memorat, nam revera patet ex jam dictis ter hanc Urbem devastatam à Romanis, semper refloruisse. Hinc quoque scimus post hanc cladem, Suessam Pometiam haud interiisse, quin anno V.C. CCLVIII. florentissimam fuisse testimonio Dionysii, & Livii, qui hoc vltimo bello eam Urbem captam, at non eversam, & direptam tradunt; quamobrem Antonius Sanfelicius vir antiquarum rerum optimè gnarus, de origine, & situ Campan. pag.39., & 40.: *Fuit*, inquit, *altera Suessa Pometia Volscorum, quam Pomptina palude ferunt haustam*; itaque si non bellis, sed Pomptina palude Pemetia hæc hausta est, nemo arbitrabitur hoc anno, & in posterum Suessam, de qua loquimur ruinis obrutam mansisse. Quandoquidem, uti suo loco dicemus, Appius Claudius cæcus in Censura quam obiit anno V.C. CCCCXLI. & Cornelius Cethegus Pomptinas paludes exiccarunt, neque Romani passi essent ea ætate, qua Pometinos agros plurimum laudabant, & Coloniis ornaverant, paludes, Urbes, & Colonias opulentissimas absorberi. Quare puto Livium lib.27. referentem Suessam ynam ex duodecim Coloniis fuisse,

quæ

quæ anno V.C. DXLV. Q. Fabio Maximo Verrucoſo V., & Q. Fulvio Flacco IIII. Coſs. negarunt Conſulibus parere, militeſque, & ſuppetias dare, Sueſſæ Pometiæ meminiſſe, quæ ideo ea ætate florebat, immo uſque ad M. Antonii tempora, uti ſuperiore Capite diximus: quo vero anno, & qua clade ea Urbs interierit mihi non liquet. Refertur apud Kircheri Vet. & Nov. Latium par.4. cap. 1. pag.237. antiqua Inſcriptio Oſcorum nominum è Sicilia advecta, quam ita ille interpretatur.

GENEROSAE KALINI STATTIAE
DOMINAE POMETIAE, NYMPHAE SACRAE
MAGISTRATVS VPSENTINVS
QVI MARTI, SIVE BELLO PRAEEST
APOLLINIS CONIVGI

Nympha hæc Pometia dicta ob fortitudinem, pulchritudinemque Nympharum numero adſcripta, à Pometino Magiſtratu ad Ufentem, tamquam Apollinis conjux culta aſſeritur in Inſcriptione: quam deſtructa jam Pometia ex poſteris exul nonnemo in Siciliam appulſus huic lapidi inciſam, ejus honori, & memoriæ extare voluerit, fides tamen ejus rei ſit apud eumdem Auctorem.

Familiæ illuſtres Pometia oriundæ hæ numerantur, Pomptina, & Lucilia. Pomptinæ ita meminit Paulus Manutius in epiſtolam 16. Ciceronis ad Atticum lib. 4.: *C. Pomptinius, qui Prætor fuerat Cicerone Conſule, moxque in Provinciam Ciliciam Legatus cum eo profectus eſt: & videtur ab Urbe derivatum nomen, nam ut à Gabiis Gabius, & inde Gabinius, ſic à Pometia Pomptinus, & Pomptinius, ſive Pontinus, utroque enim modo ſcribebatur, ſicuti & Tribus modo Pontina, modo Pomptina*, quod viri docti probant, paucis exceptis, qui Pomptinam perperam à Pontia Urbe, & Inſula in mari ſita dictam autumant putantes Tribum etiam Pomptinam à Pontia vocitatam, contra ea, quæ ſuperiori Capite ſcripſimus. Hanc gentem plebejam facimus, & Tribunatus Plebis honore pluries Romæ ornatam, Pighius enim Annalium tom. 3. & 4. plurium ejus familiæ, qui Tribuni Plebis fuerunt meminit. Ex his ortus eſt C. Pomptinius

qui cum M. Annæjo, ſive Annio, & L. Tullio Legatus Ciceronis fuit in Provincia Cilicia, & Prætor eodem Conſule triumphavit de Allobrogibus teſtimonio Ciceronis lib. 4. epiſt. 16. ad Atticum: *Pontinius*, is inquit, *vult ad quarto Nonas Novembris triumphare. Huic obviam Cato, & Servilius Prætor aperte, & Q. Mucius Tribunus, negant enim latum de Imperio, & eſt latum Hercule inſulsè, ſed erit cum Pomptinio Appius Conſul: Cato tamen affirmat, ſe vivo illum non triumphare*, & iterum lib. 5. epiſt. 4. & 22. ad eumdem, ubi Pontinium vocat virum optimum, & Poſtumiæ maritum, & lib. 3. epiſt. 4. ad Q. fratrem, ubi meminit ejuſdem triumphi, & Dio lib. 39. in Orat. de Provinc. qui eum triumphalem nominat, & fuſius Manutius in Ciceronis epiſt. famil. 16. lib. 2. & alii.

Luciliam & gentem Patritiam Romæ fuiſſe ajunt plures infra adducendi, qui Lucilii Poëtæ vitam ſcripſerunt; alii referunt eam familiam plebejam, Senatoriam tamen ex Vellejo lib. 2., & Fulvio Urſino in Lucilia. Sunt qui perhibent familiam unde Cajus Lucilius ortus eſt Patritiam, alias Plebejas fuiſſe, nam Vellejus dicto lib. 2. prodit Sextum Lucilium, quem alii Lucillum ſcribunt Tribunum Plebis à Publio Lænate itidem Plebis Tribuno è Saxo Tarpejo dejectum. E Patritia, vel Equeſtri natus eſt C. Lucilius major Avunculus, vel ut alii minus rectè volunt Avus Cn. Pompei Magni, quem tamen plerique putant Equitem Romanum ſub Pub. Africano militaſſe. Natus is eſt Sp. Poſtumio Albino, & L. Calpurnio Piſone Coſs. anno ab V.C. DCV. Bello Punico tertio, & quum alienæ iniquitatis acerrimus eſſet accuſator, primus cæpit Satyram ſcribere, ſcripſitque ſupra triginta Satyrarum libros, in quibus & vitia diligenter redarguit, & Lupum, atque Scævolam perditiſſimos viros perſtrinxit. Hinc lata lex eſt ne cui Poëtæ quemquam nominatim carpere liceret. Deſcripſit etiam P. Scipionis Africani geſta, ac Neapoli obiit Olympiade CLXVIIII. anno ætatis ſuæ quadrageſimo ſexto, & publico funere efferri promeruit, quemadmodum notant Scholiaſtes Iuvenalis in Satyr. 1., Franciſcus Janus Douſa in ejuſdem Lucilii reliquias, Gyraldus de Poëtis dial. 4., Crinitus de Poët. Latin. lib. 1. cap. 10. ante hos vero Euſebius in Chronico, & alii; Hunc Adrianus Imperator omnium Poëtarum, qui Satyram

ram ſcripſere, principem palàm aſſerebat, Spartiano in Adriano teſte.

Plebejæ familiæ Longi, Capitones, Balbi, Blæſi, & Rufi claruerunt. Lucilii Balbi meminit Cicero in Bruto. Tacitus Annalium lib. 4. cap. 15. refert Lucilium Longum Tiberii amicum fuiſſe, & Senatorii Ordinis, ejuſque comitem in ſeceſſu Rhodi: ſubditque Senatum ei mortuo Cenſorium funus, & effigiem apud forum Auguſti publica pecunia decreviſſe. Verum quoniam Tacitus hunc novum hominem appellat, ſuſpicor ex Lucilia gente, de qua loquimur, haud prognatum. Eodem loco Tacitus memorat Lucilium Capitonem anno quarto Imperii Tiberii Aſiæ Procuratorem Provincia accuſante damnatum, ob quam ultionem fama eſt Aſiæ Urbes Templum Tiberio, matrique ejus condidiſſe; Lucilium Baſſum nominat Cicero lib. 12. epiſt. 5. ad Attic. alterumque Tacitus hiſtor. lib. 2. cap. 100., quem poſt Præfecturam Alæ, Ravennati ſimul, ac Miſenati claſſibus à Vitellio præpoſitum ſcribit, & lib. 3. cap. 12. & 40. ſubjicit eum à Vitellio defeciſſe ad Veſpaſianum cum claſſe Ravennati, quam rem probat & vetus cippus Aquilejenſis apud Gruterum, & Fulvium Urſinum in Lucilia.

IMP. CAESAR VESPASIANVS AVG. &c.
VETERANIS QVI MILITAVERVNT IN CLASSE
RAVENNATE SVB SEX. LVCILIO BASSO

Nummus apud Fulvium Urſinum loco mox adducto M. Lucilii Rufi mentionem facit: fortaſse is fuit, quem Plutarchus in Pompejo ſcribit, quum Tribunus Plebis eſset, de Pompejo Dictatore creando multum repugnante Catone ad Populum tuliſse. Habes etiam apud Tacitum Annal. lib. 1. cap. 23. in Pannonia interfectum à Legionibus tumultuantibus Lucilium Centurionem, cui militaribus facetiis vocabulum *cædo alteram* indiderant, quod fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, ac rurſus aliam poſceret. Alter Lucilius nominatur à Plutarcho in Bruto, & Antonio, qui adeo Brutum amavit, ut Bello Philippenſi pro Bruto ſe hoſtibus interficiendum obtulerit: Blæſi mentionem facit Fulvius ubi ſupra. Lapis antiquus relatus per

Panvi-

Panvinium lib. 2. Faſtor, ad annum DCCCCLXIII. meminit Cæſonii Lucilli Conſulis & Curatoris Reipublicæ Lanuvinorum; an vero is Lucillæ, an potius Luciliæ gentis fuerit, compertum non habeo.

CAPUT XI.

De Apiolarum Urbe in Pometino, & Setinorum agro poſita, & de Antronia gente.

APiolas Latinorum Urbem vetuſtiſſimam Ligorius voce *Pontina*, in Pometinorum agro ſitam fuiſſe aſſerit, in libro vero de Familiis Romanis pag. 44. referens nummum M. Antronii Prætoris, in quo ſcalpta eſt Diana, Apiolas non procul ab Aricia ponit. Ego probè teneo eam Urbem Pometino agro conterminam, & non procul à Pometia; quippe ex Plinio infra adducendo liquet Apiolas, quam plerique Appiolas ſcribunt, Latinorum priſcorum oppidum fuiſſe, quo fit in ſitu inter Circæjos, & Tiberim eam conſtitutam.

Strabo ejuſdem oppidi ſitus dilucide meminit, nam lib. 5.: *Volſcorum*, inquit, *Pometiorum ager præclarus fuit, finitimus Latinis, & Apiolæ Urbi, quam Tarquinius Priſcus delevit*; quamvis enim plures legant & *Apiolæ Urbs*, attamen magis caſtigati Codices *Apiolæ Urbi* exhibent, quod & ſenſus rectus orationis innuit; ergo Strabo prodit agrum Pometiæ, finitimum fuiſſe Latinis, & Apiolarum Urbi; unde ſitus ejus oppidi ad oculum à Strabone oſtenditur. Hoc probatur ex Antiate à quo vetuſtiorem hiſtoriam Romanam Livius hauſit, is enim teſte Plinio lib. 3. cap. 5. vel juxta aliorum computationem 9. hæc memoriæ mandavit: *Præterea auctor eſt Antias oppidum Latinorum Apiolas captum à L. Tarquinio Rege, ex cujus præda Capitolium is inchoaverit*. At quum Livius, & Dionyſius relati ſuperiori Capite aſſerant Capitolii fundamenta à Tarquinio Superbo poſita ex manubiis Sueſſæ Pometiæ, ex hoc ſcriptorum diſſidio arguitur errorem hunc apud Antiatem irrepſiſſe, quod fama eſſet in agro Pometino eam prædam factam, in quo agro cum inter ſe finitimæ eſſent

eſſent Apiolæ, & Pometia, facile fuit errare, maxime quod L. Tarquinius Priſcus Apiolas everterat magna inde præda revecta, ædemque Jovis Capitolini voverat, quemadmodum ſuperiori Capite ſcripſimus.

Sunt qui putant ſub monte Trebarum Privernum verſus in agro Setino in planitie duobus montibus incluſa, eam Urbem olim ſitam, neque ejus rei deſunt argumenta, nam in antiquis Setinorum ſcripturis hæc Vallis *Valle Apiole* nominatur, & nunc accolæ vulgo eam vocant *Vallejapole*, aut *Vallejavone*. Ibidem ſparſa viſuntur rudera antiquæ Urbis, & vetuſtarum cryptarum, quare ab antiqua denominatione ſatis argui poteſt in eo ſitu Apiolas Urbem conſtitutam; quæ tamen obſcura ſunt, & facies ruderum potius mihi ſuadet eo loci villam fuiſſe, & quidem præclaram. Ceterum quum in Setino agro plura ſint loca, in quibus reliquiæ priſcarum Urbium apparent, uti in regione quam Palatium appellant, vel in illa *Fraſſellone* dicta, & in alia quam *li Murilli* vocitant, in qua præſertim mille fere paſſuum ſpatio reliquiæ murorum vetuſtorum occurrunt, & ſitus magis congruat lectioni Strabonis, in re tam antiqua potius aſſererem Apiolas ſitam fuiſſe in Palatii, aut Fraſſelloni, vel Murillorum regione, quam in Valle enunciata, tametſi fatear rem conjecturalem eſſe, & divinationi expoſitam.

Diruit hanc Urbem Latinorum non incelebrem juxta calculos Pighii L. Tarquinius Priſcus, quintus Romanorum Rex anno ab V.C. C.L. teſte Livio lib. 1.: *Bellum primum cum Latinis geſſit, & oppidum ibi Apiolas vi cæpit, prædaque inde majore, quam quanta belli fama fuerat revecta, ludos opulentius, inſtructiùſque quam priores Reges fecit. Tum primum Circo, qui nunc maximus dicitur, deſignatus locus eſt, loca diviſa Patribus, equitibuſque ubi ſpectacula ſibi quiſque facerent fori appellati; ſolemnes deinde annui manſere ludi Romani, magnique variè appellati.*

Rem latius enucleat Dionyſius lib. 3.: *Inito*, is ait, *Imperio bellum primum cum Apiolis geſſit non obſcura Latinæ gentis Civitate, nam Apiolani, & cæteri Latini omnes Anci obitu ſolutas eſſe fœderis conditiones arbitrati, latrociniis, & excurſionibus Romanorum agrum infeſtabant, quam injuriam ulciſci volens Tarquinius magno exer-*

exercitu educto, optimas agri ejus partes devastavit, quo cum è propinquis Latinorum oppidis magna confluxissent auxilia, duplici prælio cum eis congressus, utroque victor, tandem obsedit oppidum, & copias per vices ad muros oppugnandos admovit. Oppidani contra pauci resistentes pluribus, nullo ad interquiescendum relicto tempore maturè expugnati sunt, oppido vi capto, major pars in pugna confossa est, pauci traditis armis sub hasta cum reliqua præda sunt venditi, pueri, & mulieres Romam in servitutem abducti, oppidum ipsum direptum prius, mox concrematum est; his gestis mœnibusque funditus dirutis Rex domum reduxit exercitum.

Hinc habes ex Apiolarum præda L. Tarquinium Priscum Circum maximum Romæ condidisse, & sic ex manubiis duarum Urbium in Pometino agro sitarum, Pometiæ scilicet, & Apiolarum, inchoatum à Tarquinio Superbo Capitolium, & Circum maximum à Tarquinio Prisco constructum. Habes præterea Regem Urbem hanc penitus diruisse, & concremasse, murosque disjecisse, ne amplius incoleretur: quod factum est, quum Urbs solo semper æquata jacuerit Plinio loco jam adducto, & Strabone testibus.

Ex iis, qui à Tarquinio ex Apiolarum ruinis traducti sunt in Urbem, quidam Antronius legitur à quo Antroniam, quam alii minus rectè Autroniam vocant, gentem plebejam ortam esse ajunt. Hanc Latio oriundam refert Plutarchus Problemat.cap.4.qui memorans Antronium delusum à Servio Tullio Romanorum Rege præcurrente ad immolandam Bovem Dianæ in Aventino, eum Latinæ gentis fuisse refert: quamvis plura exemplaria exhibeant Sabinum, quæ fortasse lectio mihi magis arridet, quam illa aliorum codicum laudata à Ligorio, qui in lib. de Familiis Romanorum pag. mihi 44, Antroniam gentem Apiolis oriundam scribit, & ab Anco Marcio Romam traductam: oscitanter tamen, quum eæ genti à L.Tarquinio Prisco, qui Apiolas evertit, Romæ locus datus fortasse fuerit in Aventino, quem aliæ familiæ Latinæ incolebant, si eidem Ligorio fides danda est, qui subdit sepulchrum hujus gentis positum in via Ardeatina, vbi sua ætate plures ait effossos esse lapides cum elogiis enunciantibus plerosque Antronios Ædiles, Augures, Equitesque Romanos.

Illud

Illud sanè pro certo habeo hanc gentem illustrem Romæ fuisse, nam tabulæ Capitolinæ referunt L. Antronium Pœtum Consulem designatum cum P. Sylla anno V.C. DCLXXXVIIII., quamvis in locum eorum ambitus pœnas dantium facti sint ii, qui eos accusaverant, nempe L. Aurelius Cotta, & L. Manlius Torquatus ex Salustio, Dione, Pædiano in Orat. pro Cornelio in Toga Candida, & Suetonio in Cæsar. Claruit, & alter M. Antronius Prætor Peregrinus cujus meminit priscus Cippus, quem se vidisse testatur Ligorius, nummusque cum effigie Dianæ; harum tamen rerum fides sit apud eumdem auctorem.

CAPUT XII.

De Polusca, seu Polustia urbe Latinorum in agro Setino, & de Longula itidem Latinorum oppido.

POlusca priscorum Latinorum urbem in agro Pomptino fuisse palàm est: quam Polustiam aliqui dixerunt, Polusca tamen verius dixeris, & agrum Poluscanum, non Polustinum, seu Polustium, & Poluscanos populos, & partem Pomptinæ paludis Poluscanam, teste Festo, & Ligorio voce *Polustia*, & *Polusti*, quod tradit etiam Sigonius Schol. in Livium lib.2. num.59., & 62.. Quo loci urbs ista sita esset facilè intelligitur ex Longulæ situ, quod Volscorum Oppidum intra fines priscorum Latinorum fuisse prodit Plinius lib. 3. cap. 5., ubi populis Latinis, qui sua ætate interierant, Longulanos, & Poluscanos accenset. Longula autem inter Circæjum & Setiam, Antium versus, eo loci fuisse putamus, quem vocant *Borgo longolo*, seu *Borgo longo*, ubi in paludibus ipsis rudera antiquæ urbis submersa visuntur.

Situm indicat satis dilucidè Livius lib.2., qui anno V.C. 261. Sp. Cassio, & Posthumio Cominio Cos. referens bellum Volscæ gentis ait: *Alter Consul ad Volscum bellum missus Antiates Volscos fudit, fugatosque compulsos in Oppidum Longulam persequutus, mœnibus potitur, inde protinus Mucamitem Volscorum capit*: ubi

Sigonius in Schol. notat loco *Mucamitem* legendum esse *Polusca*m. Id ipsum confirmat Dionysius Antiq. Rom. lib. 6.: *Posthumus Cominius*, inquit, *primum Volscos adoriendos ratus ex itinere cœpit Oppidum eorum Longulam, etsi enim oppidani animos sumerent, & cum exercitu prodirent ad arcendum hostis incursum, turpiter tamen intra mœnia sunt compulsi, priusquam præclarum aliquod edidissent facinus. Uno igitur die tum ager eorum sine pulvere* (ut vulgus loquitur) *in potestatem redactus est, tum Oppidum ipsum expugnatum non magno negotio, præda militibus concessa, & relicto ibi præsidio cum exercitu ad aliud Volscorum Oppidum contendit, nomine Polusca*m *non procul à Longula dissitum, nemineque occurrere auso facile agrum emensus admovit exercitum ad mœnia: ibi milites, pars valvis portarum excisis, pars muro per scalas superato, primo oppugnationis die potiti sunt eo etiam Oppido: quo capto in paucos quosdam, qui defectionis auctores fuerant animadvertit, reliquos pecuniis, & armis mulctatos populi Romani jussa facere coegit in posterum. Hic quoque relicta modica præsidiariorum manu, sequenti die cum exercitu Coriolos petiit Urbem nobilem, & Volscorum quasi caput.* Hinc liquet Polusca*m* Longulæ conterminam fuisse.

His si addatur testimonium ejusdem Dionysii lib. 8., Marcii Coriolani gesta narrantis, res palàm erit, quippe quum Marcius dux factus à Volscis bello Latinis fœderatis populi Romani indicto, Circæjum, & quædam Latinorum Oppida oppugnasset: *aggressus Longulam expugnatam minimo negotio diripuit, sicut alias exinanivitque captivis abductis, ac mox porrò contra Satricanos duxit exercitum, & potitus hoc quoque Oppido, prædaque amborum cum parte copiarum Ecetram missa, ipse cum reliquo exercitu Setiam petiit, & hac etiam capta, direptaque in Polusca*num *agrum irrupit, qui cum ei resistere non posset expugnato eo quoque Oppido ordine perrexit ad cætera. Itaque Albiolanos, & Mugillanos vi expugnavit, Coranos vero per deditionem in fidem recepit; porrò subactis intra triginta dies septem Latinorum Oppidis Romam petiit.* Ordo, quo rem exponit Dionysius evincit Longulam Antiati agro in quo Satricum erat finitimam, & Setiam Polusca*e* conterminam;

Albio-

Albiolam vero, & Mugillam inter Setiam, & Coram in Pomptino ſitas fuiſſe. Et quamvis plerique, inter quos Cluverius, legant *Cetiam*, antiqui tamen Codices *Setiam* exhibent, & viri docti affirmant, quum Cetia in Latio non memoretur.

Neque me ancipitem facit Livius lib. 2., qui ejuſdem Coriolani bellum referens: *Circæjos profectus*, inquit, *primum Colonos, inde Romanos expulit, liberamque eam Urbem Volſcis tradidit, inde in Latinam viam tranſverſis tramitibus tranſgreſſus, Satricum, Longulam, Poluſtiam, Coriolos, novella hæc Romanis oppida ademit, tum deinceps Corbionem, Veteliam, Trebiam, Labicos, Pedum cepit.*

Quippe Livii lectio mendoſa eſt; nam Dionyſius ſeriatim deſcribens oppida à Marcio expugnata memoriæ prodidit poſt Circæjum receptum, Marcium per Latinam viam tranſgreſſum Tolerienſes, Bolanos, Pedanos, Corbionenſes, Lavicanos, & Bovillanos oppugnaſſe, dein Minucio Legato populi Romani fruſtra pacem petente dimiſſo, ſubdit Marcium, ad reliqua Latinorum Oppida exercitum duxiſſe, & Longulanos, Poluſcanos, Setinos, Mugillanos, Albiolanos, Ecetranos, Coranoſque debellaſſe, ex quo appareret mendum ineſſe Livio, qui ſtatim Circæjo devicto, ſcribit, Latinorum ſeptem Oppida à Coriolano in deditionem accepta.

Quamobrem ſi Poluſcanus ager non procul à Setino erat, Longulam, quæ teſtimonio Dionyſii à Poluſca parum aberat in Pomptino, & in ſitu deſignato fuiſſe, qui adhuc nomen priſcum habet, & Setinum territorium attingit, nullum eſt dubium, ibi enim loci mare verſus quum palus eò uſque non creviſſet facile, & proximum iter erat Satricum, Antiumque.

Poluſcam itaque in agro Setino fuiſſe putamus, quum dirutis urbibus, quæ in Pomptino erant, Setini in deductione Coloniæ, agrorumque diviſione partem agrorum, qui exciſarum urbium fuerant ſortiti ſint; ubinam vero ſita eſſet urbs incertum eſt, licet ſint qui referant fuiſſe in loco, ubi Caſtrum S. Donati erat, quod nunc accolæ vulgò nuncupant *Il Paſſo di S. Donato*, plerique vero, ubi Forum Appii ab Appio Claudio Cenſore conſtructum; alii tandem ubi regio eſt, quam vulgus appellat *I Murilli*, in qua ſubtus terram

rudera murorum antiquorum longo tramite viſuntur ; ſitus tamen antiquus hujus Urbis ignotus adhuc eſt , licet eam in Pomptino , & non procul à Setia fuiſſe ſatis mihi conſtet ex jam relatis .

Hinc notandus lapſus Cluverii , & Kircheri , quorum prior Ital. antiq. lib. 3. pag. 1028. & 1029. putat Longulam , atque Poluſcam circa Coriolos fuiſſe , ſitasque inter Velitras , Antium , Lanuvium , Ardeam , & flumen Aſturæ , additque id probari ex Dionyſio & Livio, qui ſtatim Longulanis, & Poluſcanis domitis, ſcribit, Coriolos Urbem captam ; at ordo , quem ſervat Dionyſius contrarium evincit uti dictum eſt , & patet ex lectione integra ejusdem, nam lib. 8. poſtquam prodiderat Poſthumum Cominium Conſulem Longulam occupaſſe ſtatim ſubjicit , *& relicto ibi præſidio cum exercitu ad aliud Volſcorum nomine Poluſcam contendit haud procul à Longula diſſitum . Hic quoque relicta modica præſidiariorum manu , ſequenti die exercitum ad Coriolos duxit Urbem admodum nobilem, & Volſcorum veluti caput* . Notandus ordo: primum adortus eſt Conſul Longulam, dein Poluſcam proximam Urbem , & demum ſequenti die Coriolos , quæ potius innuunt Coriolos à Poluſca , & Longula diſſitam , quemadmodum ſpatio fere quindecim mille paſſuum , & ultra id oppidum à ſitu indicato aberat. Porro ſi Cneus Marcius Coriolanus iuxta Dionyſium direpta Setia ſtatim in Poluſcanum agrum irruit , nemo arbitrabitur tanto intervallo à Setia , Poluſcam Coriolis proximam , poſitam ; numerantur enim ab ea Urbe ad ſitum Coriolorum oppidi à Cluverio triginta fere milliaria .

Kircheri autem in Latio lib. 4. par. 1. cap. 6. error eſt palmaris , quippe is à mendoſo Livii textu , quem ſuperius expoſuimus , putat Poluſcam ſitam in loco, ubi nunc Poli oppidum eſt inter Tiburtinos , & Prænestinos montes , Longulam vero haud procul ab eo loco , quem Catenam appellant , inſulsè tamen, quum mox relata contrarium omnino doceant . Neque id innuit Inſcriptio quædam juxta portam Palatii Polani Ducis hiſce verbis :

NVNC

NVNC POLVS ANTIQVIS SVM DICTA POLVSTRIA PRISCVM
VIX PROPE QVAE FVERAS LONGVLA NOMEN HABES
INFENSVS PATRIAE NOS MARCIVS ABSTVLIT VRBI
QVID MIRVM? HAVD CVSTOS TVNC IOVIS ALES ERAT

Quippe id eſt recens elogium ſcriptum ab aliquo fortaſſe Poli incola perquirente originem ejus oppidi, ductu unius loci Liviani mutili, dum illum Dionyſius, & reliqua præterierunt.

CAPUT XIII.

De Foro Appii in agro Setino.

Erunt Appium Claudium cœcum in Cenſura, quam cum C. Plautio geſſit M. Valerio, & P. Decio Mure Coſs., Appiam viam muniviſſe, teſte Livio lib. 9.: *Et cenſura clara eo anno Appii Claudii, & C. Plautii fuit: memoriæ tamen felicioris ad poſteros nomen Appii, quod viam munivit.* Quod & notant Diodorus lib. 20., Frontinus, Auctor de Viris Illuſtribus, & alii. In hac via Appius Forum condidit, veluti emporium quoddam, quo undique mercatores, & Coloniarum vicinarum accolæ ad emendum, & vendendum convenirent, nundinæque perpetuò iſtituerentur. Huic itaque oppido nomen à foro, & ab Appio conditore manſit, quo exemplo ſimilia fora in Italia conſtituta ſunt, quemadmodum forum Cornelii, forum Livii, forum Julii, forum Aurelii, forum Sempronii, & alia, quorum meminerunt Cicero in Catilina, Saluſtius in Jugurth., & alii.

Eo anno quo Appius viam ſtravit, iſtiusmodi forum condidiſſe dicitur, & ſic anno V. C. CCCCXLI., juxta calculos Pighii, vel anno CCCCXLII., juxta Glareanum, Cluverium, & alios, teſtimonio Livii: quamquam id pro certo non habeam, quum ſint qui referunt Cenſuram Appii quinquennio continuaſſe, neque liquidum eſſe an is viam ſtraverit primo, vel ſequentibus annis ex Frontino, auctore de Viris Illuſtr., & Pighio. Quo verò loci id forum ſitum eſſet non

omnes

omnes rectè norunt; nam Blondus illud ſtatuit in agro Privernati ſcilicet in foſſa nova, ubi celeberrimum Monaſterium Ciſtercienſis Ordinis, & ubi S. Thomas Aquinas obiit. Alii putant id forum in litore maris conſtructum, uti ſcribunt Petrus Comeſtorius Commentator Actuum Apoſtolorum ad cap. 28., & Jacobus Gordonus in opere Chronologico ad annum Chriſti XXVIII. Plures memoriæ produnt illud fuiſſe vel in loco, qui nunc vulgò dicitur *Caſe nove* ſub Setino monte, aut *Paſſo di San Donato* in agro Sirmineti, vel *Taberna Maruti* in eodem Setino agro, quod arriſit Cluverio Ital.antiq.lib.3. pag.1033., & Paulo Merulæ Coſmograph. par.2. lib.4. pag.883.

Ligorius verbo *Foro Appii* hæc habet: *Foro Appii fù illuſtre Vico nella via Appia vicino à Cliteria, & à Sulmo, ò vogliamo dire Sermoneta, lo quale antico luogo era in mezzo della ſtrada, dove ſi chiama la Torre del Mercato, perciòche queſto era luogo della Tribu Pontina municipale, ove convenivano al mercato li popoli, che ſi dicevano Foro Appienni.* Verumtamen inſcripti lapides, columnæ milliariæ, Itineraria vetuſta, & Scriptorum antiquorum opinio probant id forum conſtitutum in Setino agro, & in illius parte, quæ ad jus publicum Setinæ Urbis pertinet: quem locum accolæ vocant *Caſarillo di Santa Maria*, non procul ab arcu vetuſtiſſimi operis, vulgò *l'Arco della Communità* Setinis nunc dicto quod ager circumjacens ad Communitatem eorumdem ſpectet, ubi ampla viſuntur veſtigia deleti oppidi, prout in typo quem hic exhibemus.

Huic ſitui reſpondent Itinerarium Hieroſolymitanum, & Antonini illud ſane ſic viæ Appiæ loca computat:

Roma Ariciam	XVI.
Tres Tabernas	V.
Sponſas	XIV.
Appi Forum	VII.
Medias	IX.
Terracinam	X.
	LXI.

Aliud



Aliud vero Antonini sic:

Roma	
Ariciam m. pl. m.	XVI.
Tres Tabernas m. pl. m.	XVII. (VII.)
Appi Forum m. pl. m.	XVIII. (XXI.)
Terracinam m. pl. m.	XVIII.

uti videre est apud Cluverium lib. 3. pag. 1022., & Holstenium in Adnotat. ad eumdem.

Itaque ex Hierosolymitano Itinerario habes Terracinam LXI., Appii forum XLII., Medias verò LI. Ex altero verò Antonini intelliges Terracinam LXII., Appii forum XLIV. mille passibus ab Urbe distare. His consentiunt metæ milliariæ, quæ adhuc supersunt, & quarum typum hìc subnectimus; quandoquidem eo loci, ubi est in Appiæ vestigiis Turris, quam vulgus *Torre di trè Ponti* vocitat, infracta jacet Columna cum hac epigrafe:

IMP. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . XXXVIIII.

Quæ Columna indicat eum Pontem ab Urbe triginta novem milliariis abfuisse. Hic Pons abest quatuor lapidibus ab altera milliaria meta posita inter rudera Fori Appii, & Pontem laudatum cum hac inscriptione:

IMPER. NERVA
CAESAR AVGVST.
PONTIFEX
MAXIMVS
TRIBVNITIAE
N POTE-

POTESTATIS X
COS. III
PATER PATRIAE
FACIEN. CVRAVIT
XLIII

cujus Columnæ milliariæ hic eſt typus.

Altera ſubſequitur Columna pariter in Appiæ veſtigiis paulò cis reliquias dicti Fori, in qua ita ſcriptum eſt:

IMPERAT. NERVA
CAESAR AVGVST.
PONTIFEX
MAXIMVS
TRIBVNITIAE
POTESTATIS X
COS. III
PATER PATRIAE
FACIEN. CVRAVIT
XLIV

Sequitur & alia, quæ integra jacet in loco, quem accolæ vocant *Bocca di Fiume*, non procul à finibus agri mei, cum hoc epitaphio:

IMPERAT. NERVA
CAESAR AVGVST.
PONTIFEX
MAXIMVS
TRIBVNITIAE
POTESTATIS
COS. III
PATER PATRIAE
FACIEN. CVRAVIT
XLV

Quantum







Quantum conjicitur ex mox adductis Columnis apparet Nervam Coccejum Imperatorem viam Appiam milliariis metis ad itinerantium commodum, curiositatemque explendam distinxisse, & columnis cum basi, & epistylio altitudinis palmorum novem cum dimidio ornasse, easque medias locasse inter alias duas columnellas.

Hinc intelligitur situm istiusmodi Fori fuisse inter quadragesimum tertium, & quadragesimum quartum lapidem ab Urbe per Appiam, quod appositè respondet Itinerario Antonini. Ad hæc Holstenius vir præclarus pag. 218. Annotationum ad Cluverii pag. 1033. *Nascitur*, inquit, *supra Forum Appii. Optime situm indicat, ubi nunc est* Casarillo di Santa Maria, *quatuor milliariis sub Setia, ubi magna visuntur vestigia deleti Oppidi, & paulò cis Oppidum Arcus est antiqui operis admirandæ structuræ, vulgò* l'Arco della Communità, *Setinis nunc dictus, quod ager circumjacens ad Communitatem Setinorum spectet. Situm autem fuit inter XLII. & XLIII. lapidem, quod columnæ nunc etiam stantes testantur; inde porro XVIII. sunt M. pl. Tarracinam.* Veruntamen ex jam dictis patuit id Forum fuisse situm inter XLIII. & XLIIII. lapidem.

Idipsum testatur Plinius lib. 14. cap. 6. *Divus Augustus*, is inquit, *vinum Setinum prætulit cunctis, & ferè sequti Principes confessa propter experimenta non temere cruditatibus noxiis ab ea saliva, nascitur supra Forum Appii.* Quare testimonio Plinii habes Forum Appii agro Setinorum finitimum: qui sanè ager neque Fossæ novæ, aut littori maris, aliisque locis per Ligorium, & cæteros jam adductos enunciatis conterminus est. Porrò Card. Baron. to. 1. Annal. ad annum Christi LVIIII., Joannes Lorinus, Cornelius à Lapide, & alii Scholastes Act. Apostol. cap. 28. id forum statuunt in agro Setino, quamvis non bene affirment ejus nulla supersesse vestigia, vel si quæ estant, palude Pontina facta esse inaccessa, quum tamen rudera ejus Oppidi in loco superius memorato obvia adhuc sint, ut ex relatis patuit.

Arcus, quem Holstenius laudatus antiqui operis, & admirandæ structuræ appellat, talis est qualem in subsequenti archetypo

vides. Inter Arcum prædictum, & Forum rudera apparent antiquarum balnearum quadratæ figuræ palmorum quadraginta circiter, & balneum ibidem fuiſſe puto aquæ ſulphuratæ, nam per ea loca labebatur rivus dictæ aquæ, quæ ſcaturit ſubtus montes in confinio Sirminetani, & Setini agri, fluitatque per foſſam, quam accolæ *Cavatellam* dicunt, quæ labitur per loca dicto Foro finitima, atque in Ufentem præcipitat.

Mihi ſanè compertum eſt eam foſſam, per quam Cavatella nunc decurrit Romanæ Reipublicæ ævo extitiſſe; quandoquidem in eadem foſſa in conſpectu Fori Appii viſitur Pons antiqui operis palmorum viginti latitudinis, per quem à Foro Appio in Setinorum agrum, & per Appiam viam erat tranſitus: quem Pontem fruſtrà eo loci conſtruxiſſent antiqui, niſi foſſa eadem ibi fuiſſet. Balnearum figuram, aliamque Pontis laudati in eodem typo Arcus exhibeo.

Hujus Fori meminerunt frequenter Cicero ad Atticum lib. 1. epiſt. 15. Vibius Sequeſter de Fontibus, & Fluminibus. Plin. lib. 14. cap. 6., & lib. 3. cap. 5. ubi populos Foroappios, verius Foroappienſes Latinis priſcis accenſet; & fuſiùs Horatius lib. 1. Serm. Satyr. 5. ubi ſic deſcribit Oppidum.

Egreſſum magna, me excipit Aricia, Roma
Hoſpitio modico, Rhetor comes Heliodorus
Græcorum longè doctiſſimus: inde Forum Appii
Differtum nautis, cauponibus, atque malignis:
Hoc iter ignavi diviſimus, altiùs ac nos
Præcinctis unum, minus eſt gravis Appia tardis:
Hic ergo propter aquam, quod erat teterrima, ventri
Indico bellum, cœnanteis haud animo æquo
Expectans comites: jam nox inducere terris
Umbras, & Cœlo diffundere ſigna parabant.
Tum pueri nautis, pueris convitia nautæ
Ingerere: Hùc appelle: Trecentos inſeris: Obè
Jam ſatis eſt, dum æs exigitur: dum mula ligatur
Tota labitur hora: mali culices, ranæque paluſtres
Avertunt ſomnos: abſentem cantat amicam
Multa prolutus vappa nauta, atque viator

Cer-





Certatim: tandem feſſus dormire viator
Incipit . . . . . .

Hinc intelligitur in hoc Foro plures fuiſſe tabernas, ac viatores eo loci per foſſam manufactam iter proſequi conſueviſſe Bajas uſque, navi per eam foſſam ductos propè Terracinam, & inde mare ingreſſos Bajas, uti fuſiùs patebit ex ſequenti capite.

Sub clientela Appiæ Gentis id Forum fuiſſe palàm eſſe arbitror ex Suetonio in Tiberio cap. 2.: *Claudius Druſus*, inquit, *ſtatua ſibi cum diademate ad Appii Forum poſita, Italiam per clientelas occupare tentavit*, unde Beroaldus arguit Forum laudatum ſub clientela Claudiæ Gentis ab ætate Appii Cœci conditoris ad Tiberii Imperium manſiſſe: ſtatuas etiam ibidem Appiæ Gentis, & præſertim Appii Claudii conditoris, Druſique poſitas. Porrò Tiberium, aut ſequutos Principes hanc clientelam Claudiis ſuſtuliſſe conjicio ex ſequenti cippo in eodem Foro effoſſo, uti refert Ligorius verbo *Taphæjo*:

LIBERO PATRI
SAC
L. TAPHAEIVS REMNIVS PRIMANVS MIL
LEG. IIII. FLAV. FORT
APPI FORI PATRONVS IIII. VIR QVINQVENN

Itaque hic fuit miles Legionis quartæ Flaviæ fortis, quam Veſpaſianus Imperator primo Imperii anno inſtituit, & in Germaniam contra Batavos rebellantes miſit, ut ex Tacito obſervat Panvinius Deſcript. Imper. Rom. lib. 3. pag. 392., qui quamquam hanc Legionem ſecundam dictam putet, attamen ex lapide conſtat eam quartam nuncupatam, ni fortaſſe lapidis nota mendoſa ſit, quemadmodum ſuſpicor. Inſcribitur quoque Taphæjus Primanus ejus Legionis, videlicet primus miles dictæ Legionis Flaviæ, ſicuti explicat Ligorius. Quandoquidem Legiones habebant Primanum, Secundanum, Tertianum, Quartanum, Quintanum, Sextanum, Octavanum, Nonanum, & Decumanum. Nonani meminit Tacitus lib. 1. Annal. cap. 23. ad fin. *Quinta Decumani tuentur, ni miles Nonanus preces, & adverſum aſpernantis, minas interjeciſſet*; itidem Secunda-

cundanorum Hiſtor. lib. 5. cap. 16., & Tertianorum Annal. lib. 13. cap. 38. ad finem: *Medio Sextam Legionem conſtituit, cui accita per noctem aliis ex Caſtris, tria millia Tertianorum permiſcuerat*; ex quibus verbis, quidquid Ligorius autumet, ſatis mihi liquet Primanos fuiſſe milites primæ Legionis, Secundanos ſecundæ, Tertianos tertiæ, & ſic deinceps uſque ad cæteras, quod clarius patet ex lectione ejuſdem Taciti Hiſt. lib. 2. cap. 43. *Primani ſtratis una, & viceſimanorum Principibus aquilam abſtulere: quo dolore accenſa Legio, & impulit rurſus Primanos, interfecto Orphidio Benigno Legato, & plurima ſigna, vexillaque ex hoſtibus rapuit. A parte alia propulſa Quintanorum impetu Tertiadecima Legio: circumventi plurium accurſu Quartadecimani*; ſic Primanus Tribunus is erat, qui primæ Legioni tributum ſcribebat, ſi fides danda eſt Paulo Feſti mutilatori lib. 14.

Sed cur Lucius iſte Primanus Legionis ſecundæ inſcribatur operæ pretium eſt intelligere. Mihi ſanè arridet eam Legionem è recens conſcriptis à Veſpaſiano primam fuiſſe ex iis, quas ille conſcribere poterat ex Tacito Hiſtor. lib. 4. cap. 68., propterea que ejus milites Primanos abuſivè dictos, quamquam Legio ſecunda eſſet, ut intelligeretur eos nomen dediſſe Legioni Primæ à Veſpaſiano conſcriptæ.

Apparet præterea ex lapide Lucium hunc fuiſſe Appii Fori Patronum, quod probat id Forum tùm ſub clientela Appiæ Gentis haud fuiſſe, geſſiſſe itidem Quartumviratum in Foro. Compertum enim ſatis eſt in Foris fuiſſe Magiſtratus, Dignitates, Sacerdotes, Equitesque publicos, quemadmodum in Coloniis, uti viri docti aſſerunt, & evincit alter lapis apud Ligorium verbo *Hyppuria* cum hoc epitaphio:

DIS MANIBVS SAC
C. HYPPVRIVS Q. F. GALER. ASPER
EQVES PVBLIC. FOR. CLAVD
FECIT SIBI, ET HYPPVRIAE VESTAE MATRI

Quinquennalis etiam Lucius iſte aſſeritur, ideſt Quartumvir, cui Magiſtratus prorogatus erat ad quinquennium, quemadmodum dictum eſt ſuperiori Cap. 7. pag. 59., quamquam Reineſius claſs. 1. lapid. 8. pag. 22. putet Quinquennales fuiſſe, qui per quinquennium coge-

cogebantur injuncto munere fungi; & Fabrettus Inſcript. cap. 9. pag. 658. memoriæ prodat eos fuiſſe Primores Magiſtratus. Porrò ad Auguſti Imperium nondum Colonicis Magiſtratibus tempus definitum erat, nam aliquando Duumviratus fuit quadrimeſtris, ſemeſtris, annuusque. Ætate autem ſequutorum Principum ſemper annuus ex lege 1. Cod. Quemadmod. mun. civil. indicunt., & lege 16. C. de Decurion. in Cod. Theodoſiano, Reineſio loco mox adducto, & Cardin. Noriſio ad Cenotaph. Piſan. diſſert. 1. cap. 3.; quare Duumviratus quinquennalis, ad quinquennium ex indulgentia Principis dicebatur prorogatus.

Cujus autem Gentis eſſet Lucius hic in Remniam fortaſſe adoptatus, vel Remniæ Libertus, mihi non liquet; ego ſanè haud arbitror eum Remmiæ Conſularis Familiæ fuiſſe; quamquam enim dilucidum ſit Romana Republica florente Colonias, Præfecturas, & Fora in clientelam potentium Civium Romanorum veniſſe, teſtimonio Dionyſii lib. 2.; tamen Imperatorum tempore etiam viliſſimos viros, Eunuchos, & Libertos, quin & fœminas, Patronos Coloniarum, vetuſtiſſima elogia aſſerunt.

Ex prædicto marmore habes itidem in hoc Foro Templum Liberi Patris conſtructum, jure quidem optimo, nam quemadmodum ferebant Liberum Patrem emere, & vendere inſtituiſſe, teſte Plinio lib. 7. cap. 56., ita congruebat in eo Foro ab Appio condito, ut accolæ Pometini agri illùc ad emendum, & vendendum convenientes, cultum Liberi Patris exhiberent; quamobrem Liberalium die, quo ſacra Baccho, ſeu Libero Patri faciebant per totum Forum, ſedebant Sacerdotes, hederaque coronatæ erant Anus cum libis, & foculo pro emptore ſacrificantes ex Varrone lib. 5. de Lingu. Latin., ita indicantes ſe eo die feriari, & apud ignitabulum, parvumque focum rem divinam in qualibet Fori parte extra Templum, & Aram ſacram facere pro emptoribus, quorum tutelare Numen Liber Pater tradebatur, quemadmodum Turnebus Scholiaſtes Varronis, ubi ſupra, meminit, & Ovidius lib. 3. Faſt. ſic canens:

Carminis hujus opus cauſas exponere, quare
Vilis anus populos ad ſua liba vocet:

Ante

Ante tuos ortus aræ ſine honore fuerunt
Liber, & in gelidis herba reperta focis.
Te memorant, Gange, totoque Oriente ſubacto
Primitias magno ſepoſuiſſe Jovi.
Cinnama tu primus, captivaque thura dediſti,
Deque triumphato viſcera toſta bove.
Nomine ab auctoris ducunt Libamina nomen,
Libàque quod ſanctis pars datur inde focis.
Liba Deo fiunt ſuccis, quia dulcibus idem
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.

Ritum horum feſtorum ſatis expoſuimus Lib. I. Latii Profani Cap. 15., ubi notavimus Bacchi cultum in Latio ad Arcades referendum, quamquam Fulvius Urſinus in Vibia 1. ex Servio prodat C. Julium Cæſarem è Græcia primum Romam hæc ſacra transvexiſſe. Non procul ab hoc Foro diù obvia manſit Capra marmorea. Hanc in finitimam piſcinam tranſtulerunt Piſcatores, cupidineque auri, quo ventrem ejus Capræ plenum putabant, confregerunt, quemadmodum ſenes Setini teſtantur. Eam Foroappienſibus religioſam fuiſſe non ambigimus, & in Liberi Patris æde, vel foro poſitam; memorant quippe Philiaſios populos regionis Corinthiacæ in foro Capram ex ære magna ſui parte inauratam poſuiſſe, cui ob eam cauſam honos ab iis habitus eſt, ne ſidus, quod Capram vocant ortu ſuo vitibus noceret; ne itaque cæleſtis Capra vinetis officeret, forenſem illam ex ære percolebant honoribus; ſic puto Forappienſes, quorum ager vitibus præſtabat Philiaſiorum exemplo huic Capræ honores dediſſe, vel potius eam in Templo Liberi Patris collocaſſe religionis cauſa; Baccho enim Caprum immolabant, ut de vitium pernicie vindicta ſumeretur ex Martiali lib. 13. epigr. 39.

Laſcivum pecus, & viridi non utile Baccho
Dat pœnas, nocuit jam tener ille Deo.

Et Virgil. lib. 2. Georgic.

Quantum illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, & admorſo ſignata in ſtirpe cicatrix
Non aliam ob culpam Baccho ſuper omnibus aris
Cæditur.

Ad

Ad hæc Servius: *Victimæ*, ait, *Numinibus per similitudinem, aut per contrarietatem immolantur*; *per similitudinem*, *ut nigrum pecus Plutoni*, *per contrarietatem*, *ut Porca*, *quæ obest frigibus Cereri*, *& Caper*, *qui obest vitibus Libero*, *item Capra Æsculapio*, *qui est Deus salutis*, *cum Capra numquam sine febre sit*; quod & notant Alexander Gen. lib. 3. cap. 12., Tomasinus de Donar. cap. 3. & 4., qui tamen cap. 27. Leporem etiam Libero mactatum, eiusque cerebrum illi oblatum refert, quod & id animal uvis infestum diceretur; non abs re itaque suspicari possumus Caprum marmoreum, & non Capram id saxum exhibuisse.

Ligorius in MSS. Otthobonianis voce *Caberina* scribit prope idem Oppidum fuisse villam Caberinæ gentis, quam ejus Fori familiam asserunt, & quamquam laudatus auctor memoret hanc Villam conterminam viæ, quæ Lanuvium ducebat, attamen vereor mendum inesse Ligorio, quum ea via nonnisi Appia esse posset, vel Setina, longè enim abest Lanuvium à Foro Appii, tametsi Appia, & Setina, quæ in Appiam incidebat Lanuvium usque, & dein Romam ducerent. Et hæc satis sint ad Fori Appii situm, Villas, ædesque sacras enunciandum,

CAPUT XIV.

De Fossa Augusti, & Neronis in agro Pomptino, & Setinorum.

SUperiori Capite scripsimus Forum Appii in agro Setino, situm inter duos fluvios, quos accolæ *Cavatellam*, & *Cavatam* vocant; nunc dicendum supereſt de Fossa Neronis. Hanc Augustus primum fecit, dein Nero latitudine, ac longitudine extendit: hujus rei sic meminit Strabo lib. 5. *Prope Terracinam*, *qua Romam itur*, *juxta viam Appiam*, *Fossa longa ducta est*, *quæ palustribus*, *& fluvialibus impletur aquis*, *ac noctu maximè navigatur*, *ut qui navim vesperi intrant*, *mare egressi Appia via pergant*; *sed & interdiù muli naves per eam fossam loris trahunt*. Meminit & ejus Fossæ Horatius lib. 1. Sat. 5.,

qui poſt Carmina relata Cap. 13., quibus Forum Appii deſcribit, hoſce verſus addit:

. . . . . *ac miſſæ paſtum retiacula mulæ*
Nauta piger ſaxo religat, ſternitque ſupinus.
Jamque dies aderat, quum nil procedere lintrem
Sentimus: donec cerebroſus proſilit unus
Ac mulæ, nautæque caput, lumbosque ſaligno
Fuſte dolat. Quarta vix demum exponimur hora.
Ora, manusque tua lavimus, Feronia, lympha.
Millia tum pranſi tria repimus, atque ſubimus
Impoſitum ſaxis late candentibus Anxur.

Unde lumen Straboni longitudinem ejus Foſſæ, & ſitum reticenti: quippe ex Horatio habes eam Foſſam à Foro Appii ad Feroniæ uſque fanum tria milliaria Terracina diſſitam, arte ductam; id enim erat itinerarium, ut qui mare egrederentur Terracinam peterent, dein ſpatio trium lapidum per Appiam progrederentur; inde in æde Feroniæ, quæ erat in Circæjenſi agro moram parumper traherent, donec laviſſent manus, & ora aqua è fonte Deæ ſacro ſcaturiente, & demum per hanc Foſſam navigarent uſque ad Forum Appii, quo loci per Appiam iterum Romam uſque iter proſequebantur, ut ita Strabonis locus reſpondeat alteri Horatii, uterque enim vixit Auguſti ævo, quamquam Strabo, qui anno undecimo, aut duodecimo Tiberii obiit, ejus ætate ſcripſiſſe narretur.

Hinc intelligitur longitudinem ejus Foſſæ fuiſſe quindecim mille paſſuum, eamque Auguſti Imperio factam, quum is paludes Pomptinas ſiccaſſet, ut teſtimonio veteris Commentatoris Horatii de Arte Poet. Cluverius Ital. antiq. lib. 3. pag. 1005. Kircherus vet. & nov. Lat. lib. 4. cap. 2. & alii.

Porrò perperam ſcripſiſſe puto Holſtenium in Adnotat. ad Cluverium loco adducto, ubi ſic prodit: *Sed certiſſimum eſt Foſſam illam, quam nunc* Fiume Cavatella *vocant, & ab Appii Foro ad mare uſque porrigitur, intelligi*; nam iſtiusmodi Foſſa Auguſti ætate deſinebat in ædem Feroniæ, neque in mare intrabat, uti patuit ex Strabone, & Horatio: quin flumen Cavatellæ vix interjectis decem mille paſſibus à Foro Appii in Ufentem effunditur, in loco, quem vulgus

vulgus appellat *Capo ſelce*, quo fit deſcriptionem Horatij Cavatellæ haud congruere, ſed alteri flumini, quod Cavatam appellant. Id quoque Fori Appii ruderibus finitimum eſt, & ducebat ad fanum Feroniæ diſſitum quindecim milliaribus, & tunc implebatur paluſtribus, & pluvialibus aquis, quæ circumquaque Foſſam etiam nunc decurrunt. Neque me terret, quod is fluvius noſtra ætate ſit navigabilis,& Nymphæus amnis per hanc Foſſam fluat: Nam Romanorum ævo Nymphæus, & torrens Teppia per alia loca Sirminetani agri in mare, & cloſtra Romana educebatur, itaut alveus ejus Foſſæ ſolis paluſtribus aquis, aliisque ex rivulis quibusdam redundantibus impleri poſſet, quemadmodum memorant Holſtenius in Adnotat. ad Cluverium lib.3. Ital. antiq. pag.992., & nos ſuo loco fuſius explicabimus.

Nero eam Foſſam longitudine, ac latitudine auxit, & ob id à ſuo nomine nuncupavit, quod intelligitur ex Suetonio in Nerone cap. 31. *Foſſam*, is inquit, *ab Averno Oſtiam uſque, ut navibus, nec tamen mari, iretur, longitudinis per centum ſexaginta millia: latitudinis qua contrariæ quinqueremes commearent. Quorum operum perficiendorum gratia, quod ubique eſſet cuſtodiæ in Italiam deportari, etiam ſcelere convictos, nonniſi ad opus damnari præceperat:* Tacito lib. 15. Annal. cap. 42. *Magiſtris, & machinatoribus Severo, & Celere, quibus ingenium, & audacia erat, etiam quæ natura denegaviſſet, per artem tentare, & viribus Principis illudere. Namque ab lacu Averno navigabilem Foſſam uſque ad Oſtia Tiberina depreſſuros promiſerant, ſquallenti littore, aut per montes adverſos. Neque enim aliud humidum gignendis aquis occurrit, quam Pomptinæ paludes: cætera abrupta, aut arentia. Nero tamen, ut erat incredibilium cupitor, effodere proxima Averno juga connixus eſt, manentque veſtigia irritæ ſpei.* Plinio lib. 14. cap.6. *Antea Cæculo vino erat generoſitas celeberrima, in paluſtribus populetis, ſinu Amyclano, quod jam intercidit, & incuria coloni, locique anguſtia; magis tamen Foſſa Neronis, quam à Bacano lacu Oſtiam uſque navigabilem inchoaverat.* Idipſum tradunt Ligorius, & plures docti viri.

Sunt qui referant Neronem Cæſaris conſilium exequi ſtuduiſſe,

is enim teſte Plutarcho in Cæſare ob moderandas Tiberis exundationes meditatus eſt: *Tiberim ex Urbe ſtatim profunda excipere foſſa, & Circæum uſque defluens Terracinæ immittere mari: qua ex re tutelam pariter, & commoditatem negotiorum excogitaret.* At hos inſimulant Tacitus, & Suetonius, uti ex mox relatis verbis patuit; ſed regeret fortaſſe aliquis laudatos auctores non indicare à quo loco Nero opus cæpiſſet, incertum itaque eſſe Auguſti Foſſam, de qua verba fecimus, à Nerone ampliatam, quod tamen mihi arridet: puto namque Neronem ab æde Feroniæ in agro Circæjenſi Ciſternam uſque eam Foſſam duxiſſe: id liquet ex hujus Oppidi priſco nomine, quod Ciſterna Neronis dicebatur, quemadmodum ex Hiſtoria electionis Alexandri III. Papæ conſtat. Nemo non ſcit Victorem Alexandro oppoſitum, diuque examinatam validitatem electionis Alexandri, maximè in Conciliabulo Papienſi à Friderico Imperatore perperam indicto, quo Victori III. Antipapæ Pontificatus adjudicatus eſt. Fridericus, Præſidentes ei Conciliabulo, & Canonici Baſilicæ Vaticanæ, qui partes Victoris tutabantur haſce epiſtolas, quas integras in Latio Sacro dabimus, ſcripſerunt, quibus electionem Victoris legitimam palàm facerent. Sic Fridericus ſcripſit: *Hac de cauſa duodecimo die poſt electionem Domini Victoris Papæ, eo ſedente in Sede Beati Petri, jam dicti conſpiratores egreſſi ab Urbe ad Ciſternam Neronis, derelinquentes venam aquarum viventium, ſe contulerunt, & idolum ſibi Rolandum Cancellarium erexerunt.* Ita & Præſidentes Conciliabulo: *Probatum eſt etiam, quod Rolandus duodecima die poſt Domini Victoris promotionem ab Urbe egreſſus apud Ciſternam, in qua Nero Imperator quondam ab Urbe profugus latitavit, primo eſt immanſatus.* Et Canonici Sancti Petri: *Sicque per totam hebdomadam illam Domino Cancellario, & ſuis in Eccleſia Beati Petri morantibus, nono die deſcendentes Tranſtiberim, eo die, & altero commorantes, undecimo exjerunt, & pervenerunt ad Ciſternam Neronis, in qua latuit Nero fugiens Romanos inſequentes: juſtè Ciſternam adjerunt, qui dereliquerunt fontem aquæ vivæ.* Hoc videre eſt apud Labbæum tom. 10. Concilior. pag. 1391. 1393. & 1396.

Compertum itaque ex his eſt Ciſternæ Oppido inter Sirmine-

tum,

tum, & Velitras, Ciſternæ Neronis nomen ab antiquis inditum, uti fama ad Alexandri III. ævum manifeſtum facit, quamobrem hallucinatos apparet quamplures, qui id Oppidum Tres Tabernas eſſe tradiderunt. Et quamquam nemo prodat hujus rei cauſam, attamen ſuſpicor id factum, quod ad eum uſque locum Foſſa Neronis ducta eſſet, & quum ſitus propè Ciſternam Pomptinis paludibus emineat, fortaſſe ibidem Nero, qui Foſſam Oſtiam uſque ducere meditabatur, ſicuti diximus, magis imam fecit. Veſtigia ſiquidem ejus rei nunc etiam apparent, nam Nero uſus eſt Foſſa Auguſti, eamque prolatavit, dein ſeptem vel octo circiter lapidibus à littore Terracinenſi novam fodit, quæ recto tramite exciperet aquas dictæ Foſſæ Auguſti, & recens à ſe factam per agrum Circæjenſem, & Sirmineti derivavit Ciſternam uſque, uti ex aſpectu ejus Foſſæ patet, quæ nunc ab accolis *Fiume vecchio* dicitur. Ita arbitror, quoniam Commentatores Plinii, & Suetonii locis laudatis, omnesque viri docti conſentiunt in agro Pomptino fuiſſe Foſſam Neronis; ſuadet & id ipſum Taciti, & Plinii auctoritas, qui opus à Nerone cæptum teſtantur, & veriſimilitudo, quod inchoatum fuerit ab ea parte, in qua jam Auguſtus Foſſam fecerat, & quæ facilè fodi poterat, qualis erat hæc planities, & alia Bajani lacus. Cæterum, ni fallor, ineptè in epiſtolis relatis ſcriptum puto Ciſternæ Neronis nomen inditum, quod ibi latuiſſet Nero Romanorum metu, quum Suetonius, Tacitus, Dio, aliique Romanæ Hiſtoriæ auctores alia loca magis Romæ proxima latebram Neroni ſuppeditaſſe aſſerant; quæ ſatis ſint ad rem vetuſtiſſimam enucleandam.

CAPUT

CAPUT XV.

De Decennovio, seu Ufente Fluvio, Regeta, & Campis Barbaricis in Setinorum agro.

DEcennovii, & loci *Regeta* dicti in Pomptino agro meminit Procopius initio lib. 1. de bello Gothico cap. 11. *Gothi verò*, is inquit, *qui apud Romam, circumjectisque in locis degebant, & vehementer mirati fuerant adeò cessare Theodatum, ut hosti appropinquanti offerre se, & congredi nollet, non leviter suspicantes, eum Justiniano Augusto Gothorum res ultrò prodere, neque aliud curare, nisi ut otio fortunis abundanti, vitam traduceret: ubi nuntius venit captam esse Neapolim, horum omnium culpam in ipsum palàm conjicientes in locum cojere, qui Roma CCLXXX. stadiis distat, & à Romanis Regeta dicitur. Is castris commodissimus visus est, quod multa habeat equorum pascua, ac rigetur fluvio, quem indigetæ Latino vocabulo Decennovium ideò appellant, quia decursis XIX. milliaribus, quæ stadia conficiunt CXIII. in mare influit ad Urbem Terracinam monti proximam Circæo.* Et dein paucis interjectis subdit: *Congregati apud Regeta Gothi, sibi, Italisque Regem eligunt Vitigin, virum haud illustri quidem loco natum, sed clarissimum præliis ad Sirmium ante editis, cum aduersus Gepidas bellum gereret Theodoricus.* Ejusdem fluvii nomine Decennovii in Pomptinis paludibus mentionem facit Cassiodorus lib. 2. epist. 32. & 33.; & vetus Inscriptio Terracinæ posita, ubi & palus Pomptina Decennovii palus dicitur, de quibus infra quum de hac Palude verba faciam fusiùs differere propono.

Decennovius dictus est Ufens fluvius è radicibus montis Setini scaturiens, quoniam decem & novem mille passus delapsus, tandem in mare Terracinæ proximum effunditur, ex Cluverio Ital. antiq. lib. 3. pag. 1007. & 1008., ex Kircheri veteri, & novo Latio lib. 4. cap. 2. & aliis, quamquam Holstenius fossam Neronis Decennovium

fuisse

fuiſſe perperam ſcribat. Id flumen antiqui in agro Privernati collocant, oſcitanter tamen, eos enim fefellit Lucretius eo Carmine:

Priverno Oufetina venit, fluvioque Oufente.

Et Feſtus voce *Oufens*, ubi ait: *Oufentinæ Tribus initio cauſa fuit nominis* Oufens, *quod eſt in agro Privernati inter mare, & Terracinam*; qui non conſtituerunt Ufentem in agro Privernati contra evidentiam rei, ſed literis mandarunt Ufentinam Tribum dictam ab Ufente fluvio, in quam conjecti ſunt ii populi, qui cis Ufentem, agrum Privernatem, & Terracinenſem incolebant. Nam quemadmodum Ufens fuit terminus Latii antiqui, & populi Volſci, qui cis Ufentem, Privernum, & Terracinam verſus habitantes nominis Latini haud expertes erant, uti diximus Lib. I. Latii Profani Cap. 2.; ita & is fluvius terminus fuit inter Pometinam, & Oufentinam Tribus, Pometinæ enim adſcripti erant ii populi, qui Ufenti contermini erant Circæjum, & Setiam verſus: Oufentinæ alii jam dicti, & ob id Feſtus ſubdit ea verba: *Quod eſt in agro Privernate inter mare, & Terracinam*; ut innueret eam Tribum nomen accepiſſe ab illa parte Ufentis Priverni, & Terracinæ agris contermina, quod ſi intellexiſſet Cluverius lib. 3. Ital. Antiq. pag. 1007. num. 40. deſcriptionem Feſti laudaſſet.

Veterum Ufens è radicibus montis Setini ſcaturit, & dum incipit fluere, navigabilis eſt, decurritque ſpatio fere decem & ultra mille paſſuum per agrum Setinum, quamquam pluribus in locis tardus ſit, ſicut & Claudianus in Panegyrico de Probi, & Olybrii Conſulatu cecinit:

. . . . . *Tardusque ſuis erroribus Ufens.*

Meminerunt ejusdem Virgilius Æneid. lib. 7. & 8., Silius lib. 8., Silius lib. 8., Plinius, Livius, Vibius Sequeſter, & alii plures, Strabo etiam lib. 5., ubi id flumen *Aufidum* nuncupat, mendosè tamen, quum alia exemplaria exhibeant *Aufentem*, quemadmodum antiqui illud Aufentem, Oufentem, & Ufentem ſcripſerunt. Dictum Ufentem putant Interpretes Virgilii ad lib. 8. Æneid. à duce Latinornm ejus nominis.

Nunc de Regeta dicendum, qui locus 280. ſtadiis Roma aberat, & Decennovio, ideſt Ufenti proximus erat, & quoniam Procopius

pius eo loci computat ſex ſtadia in ſingula milliaria, hinc coniicitur Regeta fuiſſe XLVI. millia paſſuum cum ſtadiis quatuor ab Roma diſſitum, quicquid Blondus, & alii affirment; quemadmodum aſſerit Cluverius ubi ſupra, qui tamen pag. 1008. ad finem, & 1009. ad princip. loco *Regeta* Pineta legit, quod Servius ad lib. 11. Æneidos in ea Carmina:

Eſt antiquus ager, Tuſco mihi proximus amni;
Longus in occaſum fines ſuper uſque Sicanos
Aurunci, Rutulique ferunt, & vomere duros
Exercent colles; atque horum aſperrima paſcunt:
Hæc omnis regio, & celſi plaga pinea montis
Cedat amicitiæ Teucrorum . . . . . .

Ita ſcribat: *Ad hunc locum Donatus erravit, dicens: Agrum, quem Latinus donare ſe diſponit eſſe in Campania juxta Ufentem fluvium, cujus terras vicinas Tuſci aliquando tenuerint, ut inde dictum ſit. Tuſco proximus anni. Agit etiam hoc argumento, quod illic eſt locus, qui hodieque Pinetum vocatur: conſtat loca illa omnia eſſe campeſtria; nec procedit quod dicitur Celſi plaga pinea montis.* Duo itaque probat Grammaticus, ideſt, quod locus agri à Latino aſſignati Æneæ non fuit in Latio prope Ufentem, quum deſcriptio à Poëta facta, illi Regioni, quæ plana, neque alpeſtris eſt, haud quaquam conſentiat, & quod in Regione illa apud Ufentem locus, Pinetum ab antiquis dictus erat. Eam tamen lectionem carpit Holſtenius in Adnot. ad eumdem Cluverium pag. 1009. linea 20. hæc ſubdens: *Mihi nequaquam fit veriſimile: nam nullam ego Pinum per univerſas haſce paludes obſervavi, neque ſoli natura id arboris genus ferret, quod locis editis, ſiccisque potius gaudet, quam paluſtribus ſtagnis*; quin ad pag. 1008. linea 54. ita ſcribit: *Numquid fortè etiam apud Procopium legendum Trajecta. Ita locus ille ſeptem mille paſſus Terracina diſtans planè incidit in Appiam viam, ubi Ufens, & Amaſenus jam conjuncti illam tranſeunt.* At ſententia Holſtenii non conſentit Procopio, is enim, ut dictum eſt, prodit Regeta Roma XLVI. mille paſſibus abfuiſſe & quatuor ſtadiis, quum tamen Trajectæ locus mihi ignotus à Terracina diſſitus ſeptem milliaribus, Roma diſtare debuiſſet LIII. aut LIIII. millia paſſuum, nam

nam Terracina ſecundum Columnas,& Itineraria Hieroſolymitanum, ac Antonini, Roma aberat per Appiam LX. aut LXI. milliaribus. Itaque locus Regeta dictus, cujus meminit Procopius, erat inter Forum Appii, & Pometiam priſcam, ideſt Piſcinam Capituli Setini, quæ *Meſa* nunc vocitatur, non procul à Foſſa, quam dicunt S. Jacobi, quæ eſt inter XLVII. & XLVIII. lapidem per Appiam. Situs enim is apprimè reſpondet Procopio, nam poſitus eſt inter Foſſam Auguſti, & Ufentem in Appia via, atque in meditullio fere Pomptini agri: irrigatur Ufente, habet immenſam planitiem, commodusque eſſet etiam nunc paſcuis pro equitatu regii exercitus, qualis erat ille Vitigis Gothorum Regis centum mille milites numerans ex Platina in vita Silverii Papæ, ni palus Pomptina ea loca obruiſſet. Tunc enim fertiles erant ii agri, quum Cæcilius Decius Patricius Romanus ſub Theoderico Rege circa annum Chriſti CCCCLXXX. paludes Pomptinas ſiccaſſet, uti infra in alio Capite dicam: unde conſtat quinquagintaquinque jam lapſis ab ævo Theoderici ad electionem Vitigis, qui Rex à Gothis acclamatus eſt ætate Silverii Papæ: & ſic anno Chriſti DXXXV. aut ſequenti eam planitiem à paludis faucibus exemptam manſiſſe. Viſuntur in eo ſitu ſparſa rudera antiqui oppiduli, & non procul erat vetuſtiſſima, nunc autem diruta Eccleſia Sancti Jacobi in via Appia, cujus typum Lib. I. Latii ſacri exhibebimus.

Hos campos, in quibus Vitiges Rex electus eſt, Jornandes de Succeſſione Regni Gothorum ad finem *Barbaricos* nuncupat: en ejus verba: *Qui*, Vitiges ſcilicet, *Campaniam ingreſſus, mox ubi ad campos veniſſet Barbaricos, illicò exercitus favorem, quem contra Theodahatum ſuſpectum habebat, Rex cepit*; unde habemus planitiem circumquaque Regeta, in qua Gothorum exercitum caſtrametatum ſcribit Procopius, dictam à Romanis *campos Barbaricos*, uti ſubdit Peregrinus de antiq. Capuæ diſc. 1. cap. 9. pag. 59., fortaſſe quod in iis agris, Gallorum, quos Romani Barbaros vocabant, ſtrages facta eſſet eo prælio, quo L. Furio Camillo, & Appio Claudio Coſs. anno V. C. 405. Galli in Pomptino à Romanis fuſi ſunt, & M. Valerius Tribunus militaris ſingulari certamine cum Gallo dimicavit: quam rem narrant Livius lib. 7. Valerius Maximus

lib. 8. cap. 15., & fusiùs Aulus Gellius Noct. Attic. lib. 9. cap. 11. ita scribens: *Adolescens*, Valerius scilicet, *Furio*, & *Appio Coss. fit Tribunus militaris, atque in eo tempore copiæ Gallorum ingentes agrum Pomptinum insederant, instruebaturque acies à Coss. de vi, ac multitudine hostium satagentibus. Dux interea Gallorum vasta, & ardua proceritate, grandia ingrediens, & manu telum reciprocans incedebat; perque contemptum, & superbiam circumspiciens, despiciensque omnia, venire jubet, & congredi si quis pugnare secum ex omni Romano exercitu auderet. Tum Valerius Tribunus, cæteris inter metum, pudoremque ambiguis, impetravit prius à Coss. ut in Gallum tam immaniter arrogantem pugnare sese permitterent: progreditur intrepidè obviam, & congrediuntur, & consistunt, & conserebantur jam manus; atque ibi vis quædam divina fit. Corvus repentè improvisus advolat, & super galeam Tribuni insistit, atque inde in adversarii os, atque oculos pugnare incipit, insilibat, obturbabat, unguibus manum laniabat, & prospectum alis arcebat, atque ubi satis sæviebat, revolabat in galeam Tribuni: sic Tribunus spectante utroque exercitu, & sua virtute nisus, & opera alitis propugnantis, ducem hostium ferocissimum vicit, interfecitque, atque ob hanc causam cognomen habuit Corvinus.* Hæc Gellius, subdens statuam Corvino isti à Divo Augusto in suo Foro locatam cum Corvi simulacro in capite: unde lumen Suetonio in Augusto cap. 31. narranti Augustum statuas virorum, & ducum illustrium, qui Imperium Populi Romani ex minimo maximum reddidissent, in utroque Fori sui porticu dedicasse. Itaque is ager illustris est quum ob Vitigis Regis electionem in eo factam, tùm ob singulare certamen inter Corvinum, & Gallum ibidem commissum.

CAPUT

CAPUT XVI.

De palude Pomptina Romanorum ætate, & de urbibus, quæ in ea antiquitùs numerabantur.

LIvius lib. 3. cap. 5. aliis 9. in Pomptina palude viginti tres urbes fuisse prodit: *Aliud*, ait, *miraculum à Circæis palus Pomptina est, quem locum XXIII. urbium Mucianus ter Consul prodidit*; legitur in aliis Codicibus numerus XXXIII., at alii magis castigati Codices vulgatam lectionem exhibent testimonio Cluverii, Kircheri, & aliorum. Quum autem urbium nomina Plinius, ac Mucianus reticuerint, nostrum erit eadem investigare. Superioribus capitibus satis relatum est Pometiam, Auruncam, Suessam Camenam, Polustiam, Longulam, Apiolas, Forum Appii, Sulmonem, nunc Sirminetum, aliis Sulmonetum, Circæjum, Setiam, Privernum, & Auxur nunc Terracinam, quin fortasse Ausonam in palude Pomptina positas quemadmodum Strabo lib. 5., & Dionysius lib. 4. commemorant.

Cæteras præter duodecim jam nominatas facilè colliges, si spatium, & totum continens istiusmodi paludis apud antiquos perscrutaberis; quandoquidem Livius lib. 2. Norbam in Pomptino statuit: *Et Norbæ*, inquit, *in montes novam Coloniam quæ arx in Pomptino esset miserunt*. Quare facile est Romanos totam illam planitiem, quæ est inter Terracinam, Privernum, Circæjum, Antium, Coram, & Velitras, Pomptinum agrum existimasse, urbesque, quæ in montibus circumquaque sitæ, & quarum Coloni agros illos sortiti erant in Pomptino locatas, asseruisse. Quippe Norbani, & Corani urbes supra montes positas inhabitantes, nonnisi agros eius planitiei colere poterant. Rectè itaque antiqui Norbam in Pomptino locarunt, quamquam à Pometia fere viginti millia passibus dissita esset, & vix tribus milliariis à Cora distaret, ejusque ager nusquam palustris fuisset. Ejus rei causa dicitur quod Pomptinæ paludis situs vetustus difformis esset à recenti; antiquitus enim palus ista incipiebat à Circæjis, & maritimam partem Antium fere vsque occupabat: protendebatur

etiam ad ſitum Pometiæ, & Setini agri quædam, ideſt modicam partem abſorbebat teſtimonio Strabonis lib. 5.. *Totum Latium felix eſt, & omnium rerum ferax demptis paucis quibuſdam locis maritimis, quæ paluſtria ſunt, & morboſa, ut Ardeatium ager, & quod eſt inter Antium, & Lavinium uſque ad Pometiam, & Setini agri quædam* : unde fit totam illam planitiem, quæ Velitris, Coræ, Norbæ, Sulmoni, Setiæ, atque Priverno ſubjacet Terracinam uſque, agrum Pomptinum, Pometinum verius appellatum, quod Cluverio lib. 3. pag. 1026. arridet.

Hiſce jactis, Norbam, Coram, Albiolas, Mugillam, Satricum, Antium, Ecetram, Mucamitem, Artenam, & Ulubras, urbibus in Pomptino ſitis accenſebis. Nam omnes laudatæ urbes poſitæ erant in jam dicta planitie, aut in jugo Lepinorum montium, qui inter Setiam, & Signiam intercedunt, agrumque Pomptinum ſpectant ex Holſtenio in Adnot. ad Cluverium pag. 1019., & pag. 1020.. Sic Norba, & Cora, de quibus ſuperius verba fecimus; ſic Albiola, & Mugilla quemadmodum ex Itinerario Coriolani à Dionyſio lib. 8. relato patet: hic enim narrans Coriolanum Longulam, & Satricum debellaſſe, ita ait, *& potitus hoc quoque Oppido*, Satrico nempe, *prædaque amborum cum parte copiarum Ecetram dimiſſo, ipſe cum reliquo exercitu Setiam petiit, & hac etiam capta, direptaque in Poluſcanum agrum irrupit, qui cum ei reſiſtere non poſſet, expugnato eo quoque oppido ordine perrexit ad cætera: itaque Albiolanos, & Mugillanos vi expugnavit, Coranos vero per deditionem in fidem recepit*. Ordo expoſitus à Dionyſio ſatis indicat Albiolam, & Mugillam inter Setiam, & Coram locatas in jugo Lepinorum montium.

Cluverius lib. 3. pag. 1028. qui ſitum Longulæ, & Poluſtiæ aliter enuntiat, nodum in ſcirpo invenit, ideſt in planiſſimis Dionyſii verbis, & pro *Setiam Cetiam* legit, inſimulatque eos qui Dionyſium Setiæ meminiſſe ſcripſerunt. Ad evincendum Cluverii errorem lectorem remittimus ad ea, quæ ſuperiori Capite 12. ſcripſimus; Cetiæ enim nemo Romanarum rerum Scriptor meminit, & mendum Græco codici Dionyſii ineſſe, Setiamque in eo textu aſſertam omnes commemorant præter Cluverium, qui ut locaret Longulam, & Poluſtiam in ſitu longè hinc diſſito, ideſt inter Lanuvium, Antium, &

Veli-

Velitras, Dionysii verba haud quaquam rectè interpretatus est, nisi dicas Setiam, Cetiam etiam antiquitus dictam, & ab ea Cetios populos, quum Saturnus in eo situ latuisset, quemadmodum ex Eusebio, Suida, & Alexandrino Chronico prodit Bochartus in sua Geograph. Sac. lib. 3. cap. 5. pag. 180. & 181., quibus consentit opinio Setinorum, & priscorum Latinorum, qui eo loci ædem vetustissimam Saturno profugo dicarunt, uti fusiùs Capite 3. hujus Libri dictum est.

Satricum etiam in ea planitie positum omnes affirmant ex Livio lib. 6. hæc prodente: *Ab Antio Satricum, ab Satrico Velitras, inde Tusculum legiones ductas*, unde fit Satricum inter Antium, & Velitras fuisse. Ulubras quoque quemadmodum Holstenius in Cluverium pag. 1026. in princ. scribit, & Mucamitem, quam Livius lib. 2. inter Antium, & Longulam locat: en ejus verba: *alter Consul ad Volscum bellum missus Antiates Volscos fundit, fugatque compulsos in oppidum Longulam persecutus mœnibus potitus, inde protinus Mucamitem Volscorum capit*: quamquam Sigonius oscitanter putet Polustiam, & Mucamitem eamdem fuisse.

De Ecetræ situ dissidium haud leve est inter scriptores. Sigonius lib. 1. cap. 3. de antiq. Jur. Ital. Ecetranos populos in Pometino locare videtur. Cluverius lib. 3. Ital. antiq. pag. 1031. & 1032. arbitratur id oppidum longè ab ora maritima dissitum in confinio Æquorum Hernicorumque supra Norbam, & Signiam fuisse, quod haudquaquam subsistit; nam Dionysius lib. 8. de Volscis loquens: *Convenerunt*, inquit, *undique honoratiores pariter, & magna reliquæ turbæ multitudo Ecetram, hæc quippe urbs ad cæterarum comitia aptissimo loco sita esse videbatur*. Commoda haud quaquam dici poterat Ecetra Volscæ genti, cujus urbes ferè omnes in Pomptino sitæ erant, si tam longo intervallo à Pomptino aberat. Sic Livius lib. 2. scribit Suessa Pometia capta ab Appio Claudio, & P. Servilio Prisco Consulibus, Ecetranos Legatos rebus suis timentes Romam adiisse; cur igitur adeo timerent Ecetrani, & non alii populi Pometia capta, viderit Cluverius; mihi enim satis ex hoc liquet Ecetranorum agrum Pometino finitimum fuisse, & ob id timuisse Ecetranos rebus suis Pometia debellata, & Pometio agro Romano populo addicto; id ipsum evincit alio loco Livius, qui lib. 3. hæc habet: *Hernici nuntiant, Volscos,*

&

& Æquos, etsi acciſæ res ſint reficere exercitus: Antii ſummam rei poſitam: Ecetræ Antiates Colonos palàm Concilia facere, id caput, eas vires belli eſſe. Hinc intelligitur Ecetram ubi Æquorum, & Volſcorum belli ſedes eſſet, Antiateſque convenirent, ſitam in jugo montium Lepinorum ſpectante Pometinum agrum, & in loco Volſcis commodo, atque ab eorum urbibus haud ſejuncto: quod diſertè idem Livius lib.6. aſſerit: *Legionibus novis ſcriptis, placuit duos exercitus in agrum Volſcum legionibus diviſis duci. Sp. Furius, & M. Horatius dextrorsùs maritimam oram, atque Antium. Q. Seruilius, & L. Geganius lævâ ad montes Ecetram pergunt.* Quibus ex verbis ſatis cognoſci poteſt Ecetram in Lepinorum montium jugo ſitam non procul à Cora; quippe duplex exercitus ad debellandos Volſcos ſcriptus ita diviſus eſt, ut alter maritimam oram Antium verſus invaderet, alter mediterraneam partem in qua erant urbes Volſcorum in montibus ſitæ, occuparet, & ſic id jugum Lepinorum montium in quo Ecetra, Cora, Artena, Norba, Setia, aliaque Volſcorum oppida erant, alias ab hoc continenti ſejuncta Ecetra, & cis Signiam poſita, alter exercitus ad eam tantummodo oppugnandam miſſus eſſet. Ita & ipſe Livius lib.4. ſcribit: *Tres Tribuni poſtquam nullo loco caſtra Volſcorum eſſe, nec commiſſuros ſe prælio apparuit, tripartito ad devaſtandos fines diſceſſere: Valerius Antium petit, Cornelius Ecetras, Fabius, quod maximè petebatur, ad Auxur oppugnandum ſine ulla populatione acceſſit*; his ergo verbis Livius expreſſit Volſcorum fines in maritimis ab Antio Terracinam uſque, & in mediterraneis ab Ecetra, quoniam hæc erat prima Volſcorum Urbs in Lepinis montibus Romam verſus.

Neque me terret Livius eodem lib.4. hæc narrans: *Cum Volſcis inter Ferentinum, atque Ecetram ſignis collatis dimicatum eſt*; nam ſenſus iſtiuſmodi textus Liviani vix intelligitur: Ferentinum namque circumdant Fruſino, Verulæ, Anagnia, Signia, & Caſtrum Fumonis, neque montes Lepinos verſus ab ea Hernicorum Regione locus ullus caſtris aptus eſt, quin ita Ecetra in Hernico agro poſita fuiſſet: quamobrem aut mendoſus eſt hic Livii locus, aut ille de Ferentino in monte Albano loquitur, qui locus ex relatis lib.1. cap.8. nunc vulgò dicitur, *la Fajola*, finitimuſque eſt à parte reſpiciente Prænestem planitiei,

quæ

quæ intercedit inter Velitras, Coram, & montem Fortinum, quod Caſtrum Kircherus Corbionem veterem fuiſſe autumat, & hic ſitus adamuſſim reſpondet principio Lepinorum montium, quibus ſubjacet Pomptinus ager: niſi fortaſſe dicas Ecetram in vertice eorumdem montium inter Coram, & Norbam poſitam, agrumque in Pometino habuiſſe, & Ferentinum agrum proſpectui horum montium ab ea parte junctum: quod nemo peritus ejus loci negaverit.

Cæterum ex Dionyſii verbis ſuperius relatis mihi liquet Ecetram in iſtiuſmodi ſitu Lepinorum montium poſitam. Porrò Coriolanus Satrico oppugnato, & Longula, quæ oppida in Pomptino agro erant, volens aggredi Setiam, Poluſtiam, & Coram, prædam divitem Ecetram haud dimiſiſſet uti Dionyſius narrat, ſi ea urbs ultra Signiam fuiſſet, & propè Ferentinum, nam manubias ſummo expoſuiſſet periculo, moleſtoque & longo itineri. Porrò ex jam dictis Ecetræ poſitus, adhuc incertus eſt, tametſi argumenta ſatis evincant illum in laudato jugo Lepinorum montium fuiſſe ſupra Coram: Artena eidem Urbi proxima erat quod ex Livio lib. 4. arguit Cluverius ubi ſupra.

Quare habemus elenchum viginti duarum Urbium in Pomptino conſtitutarum. Quod ſi demas Ecetram, & Artenam, addito Trapontio Urbe in Pomptino locata, viginti & unius urbium eo loci ſitarum nomina exſurgent. Trapontii meminit Strabo lib. 5.: *Ab utraque Latinæ viæ parte ad dexteram ſunt inter hanc, & Appiam ſitæ Setia, & Signia. Ante hanc eſt Privernum, Cora, & Sueſſa, Trapontium, Velitræ, Aletrium, & Fregellæ.* Cluverius hunc locum Strabonis mutilum, & mendoſum arbitratur; at is non percepit mentem verborum Strabonis, nam illud: *Ante hanc*, haud quaquam referendum eſt ad Signiam, ſed ad alterutram viarum, quarum meminit, Latinæ ſcilicet, & Appiæ, & quidem ad poſteriorem, videlicet Appiam ſic legendo: *Ante Appiam eſt Privernum, Cora, & Sueſſa, Trapontium, Velitræ*; ante Latinam *Aletrium, & Fregellæ*, quemadmodum legit Holſtenius in adnotat. ad pag. 1017. & ad pag. 1023. Appiæ enim imminent Setia, Privernum, Cora, & Velitræ, uti Strabonis ævo Sueſſa Pometia, & Trapontium imminebant; Latinæ autem nequaquam, cum ſummum Lepinorum montium jugum inter Setiam, Coram, Privernum, Sueſſam, & Trapontium intercedat:

Trapon-

Trapontium itaque in Pomptino erat teſtimonio Strabonis, ejuſque interpretum. Id Oppidum fuiſſe eo ſitu in quo tres pontes erant in Appia inter Tres Tabernas, & forum Appii, ſunt qui putent, inſulsè tamen, quum laudati tres pontes vel à Trajano, vel à Nerva, qui Appiam pontibus, & metis milliariis muniverunt, conditi ſint, vt ſequenti Capite dicam.

Plinius erravit, arbitratuſque eſt Mucianum prodidiſſe viginti tres urbes in Pomptina palude fuiſſe, quod mihi perſuaſerit nemo, quum ſitus paludis jam dictæ treſdecim mille jugera terræ occupet noſtro ævo, ſub Romanis verò quantitatem multo minorem occupabat, quo ſpatio nequaquam tot urbes conſtitutæ eſſe poterant; quamobrem viri docti tradunt Mucianum numerum urbium ſuperiùs expoſitum in Pomptino agro ſtatuiſſe, ex Cluverio, & aliis. Plinio explicato Pomptinæ paludis terminos luſtremus. Nunc palus incipit à Terracina, Urbiſque mœnibus adjacet, protenditur per loca maritima fere Antium uſque, & ſic Terracinenſem, Circæjenſem, & Aſturæ agrum, & quædam Antiatis obruit. In mediterraneis optimam partem Sirmineti, Ciſternæ, & Caſtri S. Donati planitiei, Setini verò agri, & Privernatis meliorem partem abſorbet, & ſic extenditur à Terracina uſque ad forum Apii, dein relicto intervallo quatuor mille paſſuum longitudinis, & ter mille latitudinis vſque ad flumen Aquæ putridæ, & Cavatellæ, in quo ſitu eſt ager Setinus nunc cultus, denuò exundant aquæ quæ paluſtrem faciunt fere univerſam planitiem, quæ inter montes Sirmineto proximos, & mare intercedit. Hæc eſt latitudo, & longitudo iſtiuſmodi paludis in Setino, & Sirminetano. In Privernati verò palus contermina eſt alteri paluſtri agro Setinorum ſub monte ubi Caſtrum Valentini fuiſſe dicitur, & ſub alio, ubi inſignis Villa Sejani fuit. Protenditur dein ad loca proxima Monaſterio Foſſæ novæ, & ad prædium quod Leo Decimus Pontifex Maximus affinibus ſuis largitus eſt: quodque deinde Gottifredæ familiæ, & ab hac Gavottæ venditum dicitur, quæ loca fermè integra derivatis aquis in foſſam manufactam Carolus Gavottus in culturam redegit. Itaque in tanta latitudine, & longitudine à Monaſterio Foſſæ nouæ Terracinam uſque loca omnia, montanis exceptis, adeò aquis obruta ſunt, vt hieme viam Conſularem qua Romam,

mam, & Neapolim itur, aquæ exundantes circumtegant, ita quidem ut ſubmerſis in ea via ab aquarum colluvie nonnullis non ita pridem Innocentius XII. Pont. Max. illuc miſerit R. P. D. Grimaldum tunc Viarum Curatorem, qui loca luſtraret, & ſepta quædam à piſcatoribus artefacta in fluminibus, everteret, aliaque impedimenta tolleret, quemadmodum factum eſt, ac ſalutari edicto proviſum viatorum ſaluti.

Sunt qui putant Pomptinas paludes Romanorum ævo totum ſpatium, quod diximus occupaſſe: dein arguunt Romanos haud potuiſſe has paludes ſiccare, irridentque eos, qui publicæ rei cauſa Summo Pontifici ſuadent majorem partem ejuſdem paludis facilè ſiccari poſſe. At iſti in magno errore verſantur, quum paludis Pomptinæ ſitus Romanorum tempore non præſentem æquaverit, ſed longè lateque minor extiterit. Eam paludem Romanæ Reipublicæ ævo proximam Terracinæ, & Circæiis patet ex Livio lib.4.: *Anxur*, is ait, *fuit quæ nunc Terracinæ ſunt*: *urbs prona in paludes*, & Strabone lib.5. cujus verba ſuperius retulimus: ex quibus conſtat paludem iſtam à Terracina, & Circæiis incœpiſſe, locaque Pometiam uſque occupaſſe, & Setini agri quædam, ideſt modici agri contermini Pometiæ, quæ nunc *Meſa* vocitatur, & quadraginta novem mille paſſibus Roma, & undecim milliariis à Terracina abeſt. Ergo citra Ufentem Privernum verſus nulla erat palus, & præter quædam agri Setini Pometiæ finitimi, cætera ejus territorii haud erant paluſtria.

Forum Appii nunc aquis ſubmerſum jacet, vniverſuſque ager circumjacens: Appia via à Foro laudato vſque ad Terracinam nunc tota paluſtris eſt. Caſtrum S. Donati inter forum Appii, & Circæjum, Aſturamque poſitum, quod ſtetiſſe ſcimus uſque ad annum Chriſti MCCC., nunc ſine veſtigio aquis obrutum tabeſcit. Pometia, cujus rudera viſuntur in loco *Meſa* dicto in fine Setini territorii Terracinenſi finitimo ad Strabonis ætatem floruit, uti Capite 9. diximus. Quare ni fallor nemo negaverit Romanorum ætate Pometiam, & partem ejus agri, viam Appiam, Forum Appii, & locum ubi Caſtrum S. Donati ſitum erat, olim palude Pomptina infectum haud fuiſſe: niſi quis dicat fatuos Quirites, qui Urbes, & Fora, viamque Conſularem, Reginamque viarum conſtruxerint in medio paludis Pomptinæ. Id ipſum

probant insignes reliquiæ sepulchrorum Romanorum, quæ Ligorii ætate, immo & nunc visuntur in tota Appia, quæ submersa jacet; rura ampla, quæ in eo tractu extitisse suo loco exponemus; villa Sejani supra montem finitimum paludi posita à parte respiciente Privernum, aliaque rudera pariter insignis villæ, quæ in monte Valentino apparent: quæ quidem villæ agros suos nonnisi in planitie nunc paluſtri habebant: enimverò qui asserit ea loca, & finitima illis paluſtria ea ætate fuisse, stultitiæ insimulat Romanos, qui villas in palude, & sepulchra tanta cum impensa condita item contermina viæ in paludis medio sitæ constituissent.

Has paludes primus omnium siccasse dicitur Appius Claudius Cœcus in censura, quam cum C. Plautio gessit anno V.C.CCCCXLI. vel CCCCXLII. ex Livio lib. 9. aliisque relatis hoc libro cap. 13., quamquam Kircherus lib. ultimo Veteris, & Novi Latii cap. 2. prodat Appium aggere paludibus injecto viam silice straviſſe: quod apud Livium non legitur, neque id mihi arridet, nisi dicas id contigisse in eo tractu Appiæ non procul à Terracina in quo sunt plures fornices regii Pontis, quem Trajanum construxisse ajunt: hic enim situs spatio ferè trium millium passuum cæteris illius planitiei depressior est, & mari inferior. Post Appium jam lapsis annis ferè centum triginta iterum hasce paludes siccasse narratur Cornelius Cethegus quum Consul esset teste epitomatore Livii lib. 46.: *Pomptinæ paludes à Cornelio Cethego Consule, cui ea Provincia evenerat siccatæ, agerque ex iis factus est.* Sunt qui hunc nuncupent M. Cornelium Cethegum, qui cum L. Anicio Gallo Consul fuit anno V.C. DLXXXX. ex Cluverio lib. 3. Ital. antiq. pag. 1005., & Kirchero Veter. & Nov. Lat. lib. vltimo cap. 2., aut anno DXCIIII. ut aliis arridet. Plerique suspicantur eum fuisse P. Cornelium Cethegum, qui anno V. C. DLXVIIII. Consulatum gessit cum M. Bæbio Tamphilo, quod Ligorius in MSS. Otthobonianis verbo *Pomptiniana*, & voce *Pontiniano* prodat in Regione agri Setini, quam vulgus *i Maruti* appellat, non procul ab Appii foro, positam villam P. Cornelii Cethegi Consulis, quo loci subdit effossum sua ætate lapidem Terminalem cum epigraphe:

AGER PRIVATVS
P. CORNELII CETHEGI.

Verun-

Veruntamen palam est L. Florum loco jam adducto Consulatus M. Cornelii Cethegi meminisse, quem ideò putamus Pomptinas paludes culturæ reddidisse, quod villam paternam finitimam possideret in Setino.

Dein Cæsar istiusmodi paludis exsiccationem tertio aggressus est, & quoniam ob aquas ex Ufente, & Amaseno exundantes finitimi agri mare versus in summo versabantur discrimine, idcircò meditatus est aggere viam Appiam munire testimonio Plutarchi in vita C. Julii Cæsaris: *Paludes in Nomentanis, & Setinis derivare molitus est, atque efficere campum, qui multa millia posset capere agricolarum*, Suetonius in eodem Cæsare cap. 44.: *Siccare paludes Pomptinas destinabat*, idque opus Cæsarem incœpisse constat ex Dione lib. 44. qui aggeris per Appiam ducti meminit, quemadmodum & vetus interpres Horatii ad satyr. 5. lib. 1. Quod opus Cæsar destinaverat, aut incœperat, Augustus tandem perfecit: hìc novis aggeribus extructis Appiam restituit, & campos inundatione squalidos ad culturam revocavit quemadmodum literis mandavit vetus commentator Horatii de Arte Poëtic. ad ea carmina:

Debemur morti nos, nostraque: sive receptus
Terra Neptunus classeis Aquilonibus arcet:
Regis opus, sterilisve diù palus aptaque remis,
Vicinas urbes alit, & grave sentit aratrum:
Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis.

modo autem subdit, inquit interpres, *quod non tantùm verba hominum intereant: sed & homines, & omnia eorum facta quod tribus probat exemplis: Primum de Ostiensi Portu. nam apud Ostiam Civitatem Augustus mare irrumpens intercluſit, & aggere terra, & lapidibus obstruxit, Portumque ibi fecit: secundum de Pomptinis paludibus, quas Augustus exsiccavit, & habitabiles reddidit, injecto similiter aggere lapidum, & terræ: tertium de Tiberis fluvio, quem Agrippa de proprio declinavit alveo, ad eum per quem modo fluit:* & paulò post: *Divus Augustus duas res divinas fecit, ut Pomptinam paludem exsiccaret, & in mare meatum habere cogeret, ut arari posset: deinde Portum Lucrinum munivit.* Hæc Acron, cui consentit Strabo lib. 5. qui scribit Augustum fossam longam ad Appii forum usque du-

xisse ut paluſtres aquæ in eam derivatæ, atque in mare exoneratæ campos culturæ aptos relinquerent, quamquam Holſtenius adnot. ad Cluverium lib. 3. pag. 1004. hæc ſubiiciat: *Falſum hoc: nam agger viæ Appiæ non ea eſt altitudine ut fluvios exundantes intra alveum contineret, ſed paſſim in ipſa via veteri Pontes, & Arcus veteres viſuntur, ſub quibus aquæ derivabantur*, in quo ipſe fallitur Holſtenius, quum antiqui hujus aggeris meminerint, & revera agger nunc etiam appareat hac arte factus, ut aquæ ex Uſente exundantes continerentur ne ſupra Appiam excreſcerent, & quæ ab alia parte mare verſus vel per Pontes, & meatus Appiæ decurrerent, per foſſam jam dictam exonerarentur in mare, quod nemo ea loca viſitans negaverit: quamquam piſcarii novarum rerum cupidi pro piſcium piſcatu pluribus in locis Appiam obtriverint, ut per ea piſces vagari poſſent. Poſt hæc Trajanus Appiam inſtaurans exſiccationi etiam paludum incubuiſſe dicitur ex Dione lib. 68.: *Per Pomptinas paludes viam ſaxo ſtravit, extruxitque juxta vias ædificia, ponteſque magnificentiſſimos fecit*, unde non deſunt qui referant incertum eſſe an Appiam ſaxis, quæ nunc viſuntur Trajanus, an Appius, vel Auguſtus muniverint: quamquam mihi liqueat ſemper iiſdem ſaxis Appiam ſtratam, iiſque uſum fuiſſe Auguſtum, quum ea devaſtata eſſet, aggeremque illi iniceret, & Trajanum, quod Romani bellis ingruentibus viam illam ſatis commodam regio exercitui ſæpè ſæpiùs evertiſſent ad hoſtium adventum, acceſſumque impediendum ex Holſtenio, & Kirchero ſuperiùs adductis.

Porrò idem Kircherus arbitratur cultum camporum Pomptinorum diù duraſſe, quod ni fallor probatur ex ſequentibus cippis antiquis, quos refert Ligorius in MSS. Otthobonianis verbo *Tabulario*, & voce *Licimniano*. Alter effoſſus prope Circæjum ſic:

D. M
TI. CLAVDIVS AVG. LIB. PROTVS
TABVLARIVS A RAT. POMPTINA
SIBI ET SVIS FECIT LIBERTIS
LIBERTABVS
POSTERISQVE EORVM

qui

qui lapis oſtendit Auguſtum exſiccatis paludibus Pomptinis agrum ex iis ſibi feciſſe privatum, præfeciſſe etiam Claudium Libertum ſuum rationibus introituum iſtiuſmodi agri. Alter effoſſus non procul à via Labicana hæc habet:

DIANAE LICIMNIANAE SERVATRICI
SACRVM
L. AVCTIVS L. F. LICIMNIVS
LICIMNIANVS TABVLARIVS POMPT
D.D. N.N. GRATIANI AVG. . . .
. . . . . .

Quare conſtat ad annum ſalutis noſtræ CCLXXXVII., & ab V. C. MCXXI., & ſic ſpatio tercentorum,& plurium annorum haſce paludes exſiccatas manſiſſe, & Imperatores in eo ſitu omnia prædia ab Auguſto liberatore à colluvie aquarum vindicata poſſediſſe uſque ad Gratianum; ex quibus intelligitur cur Trajanus, Nerva Coccejus, & uti viri docti putant, Domitianus quoque viam Appiam ornaverint, atque muniverint. Id enim eos, quin & alios ſequutos Principes feciſſe dicendum eſt, ut viatorum commoditati occurrerent, atque etiam ſervarent ab inundationibus agros privati patrimonii, ex quibus frumentariæ rei plurimum conſultum erat.

Quomodo autem Romani hos agros cuſtodirent patet ex Feſto lib. 16. qui ait: *Retanda locantur Pomptina flumina*, ideſt purganda; retæ enim vocabantur arbores, quæ aut ex ripis fluminum eminerent, aut in alveis eorum extarent, ſic dictæ à retibus, quod prætereuntes naves impedirent, & quaſi irretirent, unde Aulus Gellius Attic. Noct. lib. 11. cap. 17. arbitratur retanda flumina locari, idem eſſe ac purganda, ne quid aut moræ, aut periculi navibus in ea virgulta incidentibus fieret,quemadmodum interpretes Feſti explicant.Quare habemus,Quirites quotannis locaſſe hæc flumina, ut ita conductores ea à vepribus, arboribus, virgultis, & herbis, quæ in iis fluminibus naſcuntur, purgarent, & ſic aquæ libero curſu in mare fluerent: quum juxta experientiam etiam præſentem pateat hoſce fluvios tardos eſſe, multamque herbam paluſtrem parere, quæ fixis radicibus in imo, & foliis

ſuper

ſuper aquas expanſis ita impedit aquas decurrere, ut eas reſtagnare faciat: unde plerumque evenire ſolet Vere, & Æſtate è ſuis alveis aquas erumpere, & vicinos agros inundare, ac naves irretiri. Quibus verò inſtrumentis haſce herbas Romani eradicarent mihi non liquet, licet ſciam nunc bubalis in ea flumina immiſſis id fieri, nam ii dum connatant, & obnatant radices evellunt. At quamvis in hunc modum purgatis fluminibus contingat ſtatim aquas quinque, & ultra palmis decreſcere, nihilominus ob aliam cauſam iſtiuſmodi uſus inutilis dignoſcitur, nam bubali irruunt pedibus, & capitibus in aggeres, alveoſque replent terra, quæ ex iis in flumina præcipitat. Hic ſtatus rerum Imperatorum ætate.

CAPUT XVII.

De palude Pomptina ſub imperio Summorum Pontificum.

REtulimus ſuperiori Capite quæ facta ſunt ad haſce paludes exſiccandas veterum Romanorum ævo: ſupereſt modo ut memoremus ſequiora tempora, quibus Barbari Romam, Latiumque imperio tenuerunt. Hi quippe omnia fere Latii magnifica monumenta, & cum primis viam Appiam fœdè vaſtarunt, donec Cæcilius Decius Maurus Baſilius ex nobili Deciorum progenie Theoderico Regi Gothorum, Senatuique Romano obtulit ſe privata manu id Regium opus reſtauraturum: quare Theodericus Senatui Romano ſcribens glorioſum ſibi duxit nobiliſſimo Senatori in hunc modum gratias referre.

Senatui Urbis Romæ.

THEODERICVS REX.

VIr magnificus, atque Patricius Decius glorioſo circa Rempublicam amore devinctus ultro poſtulavit voto mirabili, quod vix potuiſſet ſub conſilio noſtræ pietatis imponi; paludem Decennovii in hoſtis modum vicina devaſtantem, fovearum ore patefacto promiſit

fit absorbere illam famosam sæculi vastitatem; quam sub diuturnitate licentiæ quondam mare paludestre possedit, cultisque locis inimicum superaffundens unda diluvium terrenam gratiam sylvestri pariter horrore confudit, nil utique nutriens sub liquore: spoliatum fructibus est solum, postquam obnoxium cœpit esse paludibus. Ideo miramur priscæ confidentiæ virum, ut quod diù virtus publica refugit, manu privata susceperit. Hunc ergo audacem laborem aggressurum se laudabili perfectione pollicitus est; ut pereunte damnoso gurgite, quæ fuerant amissa, ulteriùs non perirent; unde nostras super hac parte fertilitatis postulat jussiones, ne sine authoritate publica subeat opus eximium, quod erit cunctis viantibus profuturum. Sed vos Patres conscripti præsentibus decretis adnuimus, ut ad dicta loca Decennovii duos ex vestro Corpore dirigatis, quibus arbitrantibus, quantum spatii restagnantis incursibus paludestris illuvies occupaverit, fixis terminis adnotetur; ut quum ad perfectionem promissum pervenerit, liberatori suo reddita terra proficiat, nec quisquam inde aliquid præsumat attingere; quod tam diù invadentibus aquis non potuit vindicare.

Ex hac epistola Theoderici apud Cassiodorum lib. 2. Variar. 32. intelligitur duos Senatores missos, qui terminos palustris agri statuerent, quippe Rex, Senatusque decreverant Decium tantorum auctorem bonorum totius agri ad culturam revocandi dominum, ac possessorem futurum. quod ex altera epistola 33. à laudato Rege eidem Decio scripta patet.

Decio viro illustri Patricio.

THEODERICVS REX.

VObis itaque desideria justa petentibus præsenti auctoritate concedimus, ut stagnis Decennovii paludibusque siccatis sine fisco possideas in solùm rura revocata; nec ullam metuas libertatis rebus exhibere culturam, quas sub generalitatis testimonio absolvimus. Hinc etiam ad Amplissimum Senatum præcepta transmisimus, ut definito nunc spatio ad tuum pulchre transeat dominium, quod est à fœdis gurgiti-

gitibus vindicatum; æquum est enim, ut unicuique suus proficiat labor. Ergo liquet Decio liberatori totum id terrarum spatium, quod aquis obrutum erat, & à duobus Senatoribus circumscriptum, sine ullo censu fisco solvendo, aut dominis, ex Theoderici rescripto fuisse concessum.

Feliciter opus perfecit Decius, & stagnantes paludes exsiccavit, Appiamque restituit, quemadmodum ejus rei adhuc extat Terracinæ in columna quadam ad posteritatis commendationem inscripta memoria, quam & hìc apponendam duximus.

DN. GLORIOSISS. ATQVE INCLYTVS REX THEODORICVS VICTOR
AC TRIVMF. SEMPER AVG. BONO REIP. STATVS CVSTOS LIBERTATIS ET PROPAGATOR ROMANI NOMINIS. DOMITOR GENTIVM
DECENNOVII VIAE APPIAE, ID EST A TRIPVS VSQVE TERRACINAM ITER
ET LOCA QVAE CONFLVENTIBVS AB VTRAQVE PARTE PALVDIBVS PER
OMNES RETRO PRINCIPVM INVNDAVERANT: VSVI PVBLICO, ET SECVRITATI VIANTIVM, ADMIRANDA PROPITIO DEO FELICITATE RESTITVIT: OPERI NAVITER INSVDANTE ATQVE CLEMENTISS. PRINCIPIS FELICITER DESERVIENTE PRAECONIIS: EX PROSAPIA DECIORVM CAEC. MAV. BASILIO V. C. ET INL. EXPF. VRB. EX PP.
EX CONS. ORD. PATR. QVI AD PERPETVANDAM TANTAM DOMINI
GLORIAM PER PLVRIMOS QVI ANTE NON ERANT ALBEOS
DEDVCTA IN MARE AQVA . . . . . .

Ea

Ea enim est felicitas Principum, qui opera publica privatorum manu facta sibi adscribere solent, quod faciunda concesserint. Ex his quoque compertum habes istiusmodi paludem Decennovii tunc dictam, quod Ufens ea ætate Decennovium vocaretur, uti scripsimus Cap. 15. Per *Tripus* hìc nil aliud intelligitur, nisi tres Pontes, qui ab Appii foro Terracina Romam venientibus dissiti sunt quatuor ferè mille passibus, quamquam Cluverius legat *Tribus Tabernis*, quem ideò insimulat Holstenius Adnot. in Ital. Antiq. ejusdem ad pag. 1005. lin. 25. Kircherus, & alii.

Porrò domitis tandem, expulsisque Roma Gothis, quum Imperatores partim Constantinopoli, partim in Occidente vagas, & instabiles sedes sortirentur, atque adeò Roma Præfectorum, & Pontificum curæ relinqueretur, ruptis vastatisque in ea cofusione temporum aggeribus, campi Pomptini denuo pristinam illuviem passi sunt; quippe neque ulla magni momenti fabrica nisi continuò annuis in hunc finem stipendiis sarta tecta conservetur, diù durare potest.

In hoc statu manserunt ii agri donec Bonifacius VIII. ex nobilissima Cajetana gente, ut Sirminetani Ducatus familiæ suæ addicti paludosis aquis obnoxios campos ad culturam revocaret, Nymphæum amnem, fluvium S. Nicolai, aliumq; Falconis, per fossam artefactam duxit in Cavatam Setinorum, scilicet in eam fossam, quam Augustum fecisse scripsimus Cap. 14. Quippe Nymphæi, & prædictorum fluminum aquæ tunc breviori via per tres Pontes à Trajano supra Appiam constructos ad Pontem Trovæ, & inde per alveum, quem *Rio Martino* vocant in mare educebantur, neque per Cavatam, aut Setinorum territorium confluebant: cujus rei vestigia clarissima nunc etiam apparent, & assertor est Plinius lib. 3. cap. 5. aliis 9. qui in antiquo Latio inter Antium, & Circæjum statuit Clostra Romana. Sic Ptolemæus, & Tabula itineraria.

Astura.
Clostris IX.
Ad Turres Albas III.
Circæjos XIX.

Itaque Clostra Romana dissita ab Astura spatio trium mille passuum, erant ubi nunc est locus vulgò dictus *Foce di Fogliano* nam

oſtium Lacus laudati tribus milliariis diſtat ab Aſtura; alius verò locus in Tabula notatus *ad Turres Albas*, is eſt quem hodieque *Tumuletum* vocitant, qui tria millia paſſuum à jam dicto oſtio lacus Fogliani abeſt, uti patet ex Holſtenio in Cluverium ad pag. 992. linea 10. & lin. 16. & ſeq. qui ea loca exploravit, & cum duabus chartis MSS. Vaticanis paludis Pomptinæ à peritiſſimis Geometris confectis contulit.

Alveus quem dicunt *Rio Martino* artefactus uſque ad id oſtium lacus laudati ductus hodieque apparet: quandoquidem ea erat aquarum derivatio, ut Nymphæus cum aliis Sirmineti aquis per tres Pontes à Trajano in Appia conſtructos, dein per flumen antiquum, ideſt partem foſſæ Neronis, uſque ad Trovam, & inde per alveum Rivi Martini uſque ad oſtium lacus Fogliani fluerent, & in mare exonerarentur, quod teſtantur Holſtenius loco mox dicto, Kircherus etiam, quin ejus alvei exſiccati, & profundi clara veſtigia, & literæ Pontificum infra referendæ. Quamobrem ni fallor Romani id oſtium lacus, Cloſtra Romana dixere, quod clauſtra quædam oſtio Nymphæi amnis appoſuiſſent contra vim Oceani ne oppleretur arena Holſtenio teſte.

Bonifacio defuncto, Setini aquarum detrimento aggravati impigrè cauſam ſuam apud Pontifices ſucceſſores egerunt, omnem tamen eorum conatum irritum fecit abſentia Pontificum, qui Avenione Sedem conſtituerant, donec Romam remigrante Gregorio XI. ſunt, qui dicant Martinum V. ejus ſucceſſorem antiquum Nymphæi curſum reſtituiſſe, & alveum *Rio Martino* dictum, de quo jam verba fecimus excavaſſe. At ſane errant, quum is alveus antiquiſſimus eſſet, & Romanorum ætate factus. Pro certo tamen habeo eum Pontificem, quum Cardinalis eſſet, & Camerarii Sedis Apoſtolicæ munus gereret ea loca viſitaſſe, & plura per ſententiam, quam tulit, decreviſſe, quæ dein Eugenius IV. Calixtus III. Pius II. & Sixtus IV. irrita fecerunt; quandoquidem quæ Eugenius, & Calixtus ſtatuerunt ſatis expreſſa ſunt in literis Pii II. quæ omiſſis iis, quæ redundant, hæ ſunt.

PIUS EPISCOPUS.

FActa Nobis ſuper iis per dilectum filium Franciſcum de Chineis familiarem noſtrum, quem ad ipſos fines intuendum, & fines locorum terminandum deſtinavimus plena informatione, ac de meri-

tis

tis cauſæ etiam ab aliis plenè inſtructi: motu proprio, non ad cujuſvis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia ſententiamus, arbitramur decernimus, & ita tandem præfato Honorato Cajetano, & Univerſitati Setiæ prædictis, & aliis, quorum intereſt harum ſeriè diſtrictius injungimus, & mandamus, ut alveum fluminis, qui ad recipiendum aquas paludum convicinarum, & fluviorum Nynfæ, & aquæ putridæ tempore piæ mem. Eugenii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri de ejus mandato inceptum in ea forma, qua datum eſt initium, & altitudine trium paſſuum, & totidem latitudinis omninò perficiant, & ad finem juxta formam, & mandatum ſuper hoc ipſis per noſtros Commiſſarios ſuo tempore faciendum quanto citiùs demandare procurent. Nos enim omnibus ſupra dictis matura conſideratione penſatis, ut inter Honoratum, & ejus Vaſallos, ac Univerſitates prædictas perpetua pax vigeat, Sermonetæ, Nynfæ, & S. Donati, & ipſius Univerſitatis Setiæ territoria auctoritate Apoſtolica, ac motu, & ſcientia ſupradictis tenore præſentium dividimus, videlicet: quod lectus, ſive alveus fluminis prædicti, qui tempore Eugenii fel.rec. inceptus fuit, ut præfertur deſcendendo per eundem alveum uſque ad locum, qui nuncupatur campus Lazari, & uſque ad locum, qui nuncupatur le Meſagne uſque ad locum, qui nuncupatur la Trova, & à Trova uſque ad Rivum Jo. Franciſci &c. per quem Rivum facturus eſt tranſitus alveus d. fluminis incæpti tempore Eugenii, & per d. Rivum deſcendendo, uſque ad rivum Martini: totum id quod dividit alveum d. fluminis incæpti tempore Eugenii, & rivum Io. Franciſci uſque ad rivum Martini deſcendendo ut ſupra à dextera verſus mare, & Urbem ſit, & eſſe debeat ipſius Honorati de territoriis ſuorum Caſtrorum. A parte verò ſiniſtra verſus montem, & Setiam ſit Univerſitatis Setiæ &c. volumus inſuper, & mandamus, quod ad hoc ut alveus ipſe quanto citiùs terminari, & perfici valeat ad illum faciendum, & perficiendum univerſi populi finitimi contribuant, videlicet ipſe Honoratus, & reliqui convicini Caſtrorum Domini, ſeù Proceres necnon Communitates locorum finitimorum &c. & perſonæ tam Eccleſiaſticæ, Regulares etiam exemptæ, & ſeculares &c. Ordinationibus Apoſtolicis &c. cæteriſque contrariis quibuſcumque &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Dñi 1458. quinto decimo Kal. Febr. &c.

Has litteras confirmavit Sixtus IV. unde deducitur Judices putaſſe, ut quemadmodum juſſu Bonifacii Nymphæus amnis mutato decurſu aquarum exoneratus fuerat in Cavatam Setinorum; ita antequam is fluvius in os dictæ Cavatæ intraret, exoneraretur in novum alveum de mandato Eugenii IV. incæptum, ita ut maxima vis aquarum Nymphæi diverteretur, & per territorium Sirmineti, efflueret tandem in antiquum alveum Romanorum, quem *Rivum Martini* dicebant, & per quem etiam tempore Bonifacii VIII. decurrebat: quod factum eſt; nam alveus impenſis totius Provinciæ, uti Pius II. ſtatuerat effoſſus eſt, ejuſque alvei veſtigia inter agrum Canonicorum S. Mariæ Sirmineti, qui eſt pars prædii Meſagnarum, & agrum Ducis ejuſdem oppidi vocatum *le Cartichette* adhuc apparent, & recognita fuerunt à viris illuc miſſis à Congregatione, quam vocant Boni Regiminis anno 1693. & 1699. qui Setinis, atque Sirminetanis id fatentibus palam ſcriptis mandarunt, alveum fluminis novi excavati juſſu Eugenii IV. & Pii II. in ſitu ſuperius deſcripto fuiſſe: quod & teſtimonio Chartæ MSS. à peritiſſimis Geometris tunc confectæ probatur.

Porrò & Calixtus III. regalia quædam Setinis remiſit, ut eum alveum excavarent. Hæ quippe ſunt Calixti litteræ.

Dilectis Filiis Communitatis Civitatis Setiæ Provinciæ noſtræ Maritimæ.

CALIXTVS PAPA III.

Dilecti filii ſal. & Apoſtolicam Benedictionem. Exigunt merita devotionis, & fidei veſtræ, ut ea vobis concedamus, quæ ad honores, & commoda veſtra pertinere noſcuntur, quo in dies magis devotio, & fides quam ad nos, & Romanam geritis Eccleſiam augeatur, & creſcat; Ac primum annuentes petitionibus per Oratores veſtros nobis expoſitis, omnia, & ſingula privilegia, libertates, exemptiones, ſtatuta, immunitates, facultates, jura, & gratias, & indulta uſque in præſentem diem per quoscumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, aut alios ab jiſdem poteſtatem habentes conceſſa, & data, quorum tenores hìc haberi volumus pro ſufficienter expreſ-

expreſſis, harum ſerie authoritate Apoſtolica approbamus, & confirmamus, mandantes hanc noſtram voluntatem à Rectoribus Provinciarum noſtrarum Campaneæ, Maritimæ, quam à tertiis quibuscumque inviolabiliter obſervari. Ac ut in fide, & devotione, quam ad nos, & præfatam Romanam Eccleſiam geritis ferventiùs perſiſtatis, de tertia parte ſalis anno præterito noſtræ Cameræ Apoſtolicæ debita, quæ ad ſummam centum, & ſexaginta quinque florenorum auri de Camera aſcendit, vobis ſexaginta quinque ſimiles ſolum pro conſtruendo canali quodam, ſeu flumine ad ſiccandas certas paludes Civitati noſtræ Setiæ admodum utili, hac vice tantum remittimus, & relaxamus, mandantes expreſſe Theſaurario, aliiſque officialibus dictæ Cameræ, quod dictos ſexaginta quinque florenos ſimiles d. de cauſa admittant, & ad exitum in eorum libris apponant, admittique, & apponi penitus faciant in contrarium facien. non obſtan. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die prima Iunii MCCCCLV. Pontificatus noſtri Anno I.

Ja. Lucenſis.

Veruntamen neque diù hæc pax culta eſt, quod Sirminetani ſæpe eam foſſam devaſtarint, donec Setini aquarum illuvie oppreſſi apud Alexandrum Sextum reclamarunt. Hinc civilia bella exarſere, quibus miſerrime ſupra ſexcentos viros periiſſe narrant, & Honoratum Cajetanum tunc Sirmineti Ducem Caſtrum Setinorum Petratam dictum diripuiſſe, & ob eam rem Pontificem feuda, & bona ejuſdem confiſcaſſe; itaque re iterum ad Judices delata, auctore Antonio de Ruvere Epiſcopo Eugubino Julii II. à Secretis, & Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro anno 1504. compoſita lis eſt hoc modo, ut ſcilicet oſtium dicti novi alvei obſtructum maneret, & Dux Sirmineti medietatem prædii Meſagnarum donaret Setinis, qui poſſent ſemper flumen Puzzæ etiam in locis ditionis ejuſdem Ducis aggeribus munire, hoc addito pacto, ut in poſterum nemini liceret flumina, & antiquos decurſus aquarum mutare.

Anno 1550. iterum inter hos populos ſuam auctoritatem interpoſuit Cardinalis de Turnone Setiæ Gubernator, qui litem definivit his conditionibus, ut nempe priora manerent, daretur præterea

domino

domino Duci medietas prædii Meſagnarum renovato pacto ſtatum fluminum, & alveorum antiquorum non immutandi, & quod nil fieri poſſet à Sirminetanis, quod quomodolibet aggeribus fluminis Puzzæ detrimento eſſet.

Sixtus V. Romanorum Conſulum, & Auguſtorum æmulator id opus exſiccationis paludum Pomptinarum aggreſſus eſt; vixerat enim Setiæ in Conventu Fratrum S. Franciſci Tertii Ordinis adhuc ejus Religionis alumnus, eumque tunc palam jactaſſe referunt ſibi reſervatum eos agros ad culturam revocare, quemadmodum fecit; nam vix Pontifex renuntiatus, Setiam petiit, dein in campo in palude ſito, quem accolæ vocant *Padiglione di Siſto* noctem tranſegit, loca luſtravit, & rem prorſus divino conſilio auſpicatus foſſam novam, quæ in hunc diem ab ejus nomine *flumen Sixti* dicitur, fieri præcepit, quamquam ego putem eum foſſam Auguſti, quam Nero dilataverat, & aquarum illuvies repleverat, iterum excavari mandaſſe.

Sunt qui putent Sixtum morte præventum eam foſſam ad mare perducere haud potuiſſe. Errant porro ii, quum foſſa exonerata fuerit in mare eo loci, quem *Bocca di Olevola* appellant, & refectis aggeribus, alveiſque antiquis inſtauratis, ſtagnantes aquæ longe, lateque diffuſæ denuo exſiccatæ remanſerint, ut ex MSS. Secretarii Congregationis paludum Pomptinarum apparet: quod & probatur ex veſtigiis foſſæ, & ex fama, quæ viget in ea Provincia, quamquam vix lapſis quatuor annis oſtium Olevolæ obſtruſum, & aggeres in pluribus locis fracti fuerint, & ob eam rem iterum ea loca paluſtria facta. Id eveniſſe ajunt, quod decem eſſent ii, qui propriis expenſis id opus aggreſſi erant, & quum mortuo Sixto V. omnes lucrum ſpectarent, neque impendiis annuis ob conſervationem oſtii Olevolæ, aggerum, foſſarumque, animum adiicerent, atque inſuper contigiſſet ex ſtipulis agrorum incenſis, terræ ipſi non adhuc immuni à bitumine paludis ignem iniici: ex quo produnt ſpatio fere duorum menſium terram deflagraſſe, & meſſem ſequentis anni intercepiſſe. Hinc factum eſt campos cultura, & feracitate inſignes ſtagnantium aquarum iterum impetum ſubire coactos fuiſſe. Veruntamen teſtari poſſum bis mille, & his plura jugera terræ in Setino agro, quæ erant paluſtria uſque ad annum 1640. à faucibus paludis exempta manſiſſe,

fisse, & culta: quæ tamen paulatim aquis obruta sunt, quod Sirminetani obstruxerint os Rivi Martini privata manu contra pacta jam dicta, quibus solitos aquarum cursus mutare fuerat vetitum, quin torrentem Teppiæ, qui alia via per tres pontes, & dein per pontem Trovæ, flumen vetus, atque Rivum Martinum fluebat, in os Cavatæ Setinorum anno 1644. exoneraverint; quamobrem ob impetum aquarum irruentium in aggeres fluminis Puzzæ fertiles Setinorum agri inundari consueverunt, & sic quum bis mille jugera sub Sixto Quinto exsiccata, tum fere alia totidem palustria effecta, instaurata sunt etiam antiqua jurgia. Quippe Setini triginta ab hinc annis apud sacram Congregationem Boni Regiminis Sirminetanos compellant tanquam pactorum pertubatores, & petunt Teppiæ torrentem, aliamque foveam quam vocant, *Fossò de Cappuccini* per antiquos alveos duci, novosque obtrudi: instant præterea iisdem haud licuisse fossam per quam Nymphæus in Cavatam introducitur, protelare, aut aggeribus munire, & sic facere ne aquæ exundantes decurrant per prædium Mesagnarum, & in Trovæ piscinam. Et quamvis post plures illuc accessus per insignes Romanæ Curiæ viros (qui visitato toto illo tractu per quem fluit Nymphæus, nullum repererunt locum, ubi aggerum apparerent vestigia) anno 1693. & 1697. eadem sacra Congregatio edixerit alveum Nymphæi dilatari, aut aggeribus muniri nequicquam posse, & licere tantummodo ripas restaurare ad planitiem terræ; nihilominus ii populi sibi licere putarunt aggerem Nymphæo opponere, quin ut exundantes aquas è Nymphæo torrentis Teppiæ illuvie gravido continerent, novos aggeres non procul à Nymphæi fossa in loco, quem dicunt *Teppia vecchia* exstruxerunt. quibus omnem vim aquarum in os Cavatæ Setinorum, & in aggeres fluminis Puzzæ irruere compellunt.

Hinc factum est anno 1702. kalendis Martii ut ruptis aggeribus Cavatæ è conspectu turris Petratæ, flumen quaqua versus effusum per agros Setinorum duobus fere mensibus debaccharetur, & coloni, ac domini futura messe fraudarentur. Quare delata res est ad Congregationem, quam Boni Regiminis vocant, & ad Maximum Pontificem CLEMENTEM XI. qui statim, utpotè qui diù, noctu-

noctuque communi felicitati vigilantiſſimè operatur, pro ingenti, & prorſus heroica animi ſui magnitudine ac ſumma clementia, dum ſacra & profana Urbis monumenta reſtaurat, ad paludum quoque Pomptinarum exſiccationem animum ſuum, ad ea etiam, quæ natura vel ars negaſſet, quæque humana potentia vix fieri crederentur, occupatum adjecit. Quumque optimus præceſſor illius Innocentius XII. id oneris commiſſiſſet induſtriæ Cornelii Meyer Batavi, rejecta operis mole in generoſiſſimum Principem Livium Odeſcalcum Bracciani Ducem, & Innocentii XI. nepotem, continuo idem Sanctiſſimus Pontifex CLEMENS XI. Ducem hortatus eſt, ut quantò citiùs operam daret exſiccationi; idque ut facilius peragerentur gravamina quædam ſuo chirographo ſuſtulit, quibus Procuratores Fiſci bonificatorem oneraverant, ut nempe alacrior Dux fieret ad opus inchoandum. Miſit præterea Setiam magni animi, magnæque indolis Cardinalem Joſephum Renatum Imperialem Præfectum laudatæ Congregationi, ut imminenti excidio Setinorum conſuleret: qui vir ſummus, & publico bono natus nulli parcens ſumptui, aut labori alveo Nymphæi, & aggeribus fluminis Puzzæ diligenter luſtratis, mox à Setinis devaſtatos aggeres Puzzæ refici decrevit, & ſingulatim ad impenſas gravari dominos agrorum: rupturam quoque in ripis Cavatæ factam inſtaurari curavit, operi addicens Othonem Meyer filium jam dicti Cornelii, qui brevi tempore ripam vaſtatam munivit, reſtituitque. His decretis idem Cardinalis omni laude cumulandus Romam reverſus nomine Congregationis, cui præerat ſancivit aggerem injectum ripis Nymphæi contra decreta jam edita circumſecari pluribus in locis, ita ut quolibet ſpatio paſſuum centum cæſura fieret palmorum triginta, ex qua erumpentes aquæ exonerari poſſent in agros Sirmineti mare verſus, & dein in flumen antiquum, ſeu Foſſam Neronis: quamobrem decretis addidit aggeres ab eo populo factos circumquaque alveum torrentis Teppiæ veteris everti, ne ii impedimento eſſent diverſioni aquarum: quamquam neque id ſalutare edictum hactenus exequutioni miſſum fuerit, arte cujuſdam Architecti qui ſimulavit ſe feciſſe, quæ nequaquam implevit.

Cæptum itaque eſt id opus, & jam viginti mille ſcuta ut vocant,

cant, & forte amplius Princeps Odeſcalcus in illud impendit. Aggeres tamen fluminis Puzzæ quos exſtruxit, bis aquarum impetu ab eo tempore vaſtati fuerunt, & ni Congregatio huic exſiccationi præpoſita torrentem Teppiæ per antiquum alveum fluere provideat, quemadmodum jus, & pacta expoſtulant, vereor ne ullo unquam termino aqua contineatur, & ne loco exſiccandi paludem, reliquum agri Setini, quod ſemper culturæ aptum fuit, à nova inundatione abſorbeatur.

CAPUT XVIII.

De Romanorum villis in agro Setino, & de villa Antoniæ gentis, ac vino Setino.

LUſtravimus jam clariora loca Setini agri: nunc tempus eſt villas Romanorum in eo agro poſitas commemorare; ſed antequam villam Antoniæ gentis, quæ cæteris præſtantior fuit, deſcribere aggrediar, operæ pretium eſt diſſerere cur Romani prædia, & rura ſibi in iſtiuſmodi ſitu delegerint. Mihi arridet, Quirites iis locis delectatos tum ob fertilitatem camporum Pomptinorum, & venatus, atque piſcatus, quibus ea regio affluit; tum ob vina, quæ ibi producebantur; quum antiqui palàm aſſererent illic ſummum Liberi Patris cum Cerere certamen teſtimonio Plinii lib. 3. cap. 4. Sunt qui putent Saturnum, quum in Clivo Setino primum latuiſſet ibidem & primam vitem Latinis oſtendiſſe ex Servio ad illud lib. 3. Æneid.

Eſt locus, Heſperiam Graii cognomine dicunt.

At hi ſanè delirant, quum rem tam veterem pro certo affirmare, fabulare videatur. Plinius lib. 14. cap. 12. prodit vinum Romæ poſt ſexcenteſimum Urbis annum guſtari cœptum, idque probari ait, quod Romulus lacte non vino libaſſet, & Numa conſtituiſſet vino rogum non aſpergi ob ejus rei inopiam: quamquam hanc Plinii ſententiam viri docti haud probent. Nam ſatis compertum eſt Æneam, ſeu Aſcanium ejus filium longè priuſquam Roma conderetur, ne vinum Mezentio Etruſcorum Regi præſtaretur vineta omnia Latinæ gentis

Jovi sacrasse, votique compotem factum, omne vinum ejus anni in templo Veneris Lavinatis effudisse, uti patuit ex relatis Lib. I. Latii Profani Cap. 4. & 5.

Setinum sanè vinum Straboni, Plinio, Athenæo, Juvenali, Martiali, & Statio commemoratur. Hæc de eo habet Plinius lib. 14. cap. 6.: *Divus Augustus Setinum prætulit cunctis, & ferè sequuti Principes confessa propter experimenta, non temere cruditatibus noxiis ab ea saliva: nascitur supra forum Appii*: quare Augustus, & qui eum sequuti sunt Imperatores Setinum plus cæteris adamarunt ob eam causam, quod generosissimum esset, capiti non noceret, & cibos concoqui cogeret ex eodem Plinio lib. 23. cap. 1.: *Surrentinum*, is ait, *veteres maximè probavere, sequens ætas Albanum, aut Falernum: Albana nervis utiliora, stomacho minus, quæ sunt dulcia: at quæ supersunt Setina cibos concoqui cogunt*: *vinum* Setinum scilicet *plus Surrentino austeritatis*, quod & tradit Athenæus lib. 1. his verbis: *Setinum Formiano, Tripholino, & Surrentino simile, Falerno levius, capiti non nocet*, Strabo etiam lib. 5. ubi id vinum pretiosissimum vocat: unde tanta generositas? ex Plinio, & Juvenali intelligitur; quippe Plinius testatur Setinos in planicie Pomptina vineas supra forum Appii obserere consuevisse contra recentiorum sententiam, qui putant vineas Setinorum priscorum in clivo Setino, ubi nunc olivæ sunt, fuisse. Idem Auctor lib. 17. cap. 4. clarius rem hanc sic enucleat: *Cæcubæ vites in Pomptinis paludibus madent*, transportabant enim Cæcubas vites è Cæcubis urbe Campaniæ, easque in Pomptino obserebant; unde vinum generosissimum: nam quemadmodum Cæcubo vino erat generositas summa, si eidem Plinio lib. 14. cap. 6. fides danda est, ita & vino ex Cæcubis vitibus translatis in Setinorum agros, erat celeberrima.

Veruntamen ejus usus multum bonitati ejus vini conferebat; quippe illud non bibebant, nisi vetustissimum esset, quod patet ex Juvenali satyr. 5.

Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cujus patriam, titulumque senectus
Delevit, multa veteris fuligine testæ.

ubi interpretes, & Valla præ cæteris scribit in lagenis inscripta fuisse loca,

loca, & tempora vini: quo ſcilicet loco, & quo Conſule id fuiſſet collectum. Id ipſum prodit Martialis lib. 13. epigramm. 112. eo carmine:

Pendula Pomptinos, quæ ſpectat Setia campos
Exigua vetulos miſit ab urbe cados.

& iterum lib. 10. epig. 36.

Nec facili pretio: ſed quo contenta Falerni
Teſta ſit, aut cellis Setia cara ſuis.

quibus carminibus Poëta ambitiosè expreſſit Setiam gratiſſimam ſeceſſui Romanorum, ejuſque vini vetuſtatem. Namque ut in eum locum Calderinus ſcribit, extra urbem alia ferè videbatur urbs cellariis referta, ubi viginti, & triginta annis ſervabantur vina, quæ dediſſe Syllam, quum poſt immanes cædes ſplendida convivia exhibuiſſet populo, & vinum quadraginta annorum guſtandum præbuiſſet, ſcribit Plutarchus in vita Syllæ.

Juvenalis in carminibus relatis ſatis innuit hujuſcemodi vina in montibus Setinis naſci, non in planitie & in Pomptino, ac ſupra forum Appii, quod tamen Plinio arriſit. Id ipſum teſtatur Martialis lib. 10. epigr. 74.

Non Hybla, non me ſpicifer capit Nilus:
Nec quæ paludes delicata Pomptinas
Ex arce clivi ſpectat uva Setini.

At nihilominus Plinii ſententia mihi placet, nam hodieque regio eſt in ea planitie non procul à ſitu fori Appii, quæ à vineis quæ illic erant, vulgò vocatur, *l'uve nere*: quamquam arbitrer & vites fuiſſe ſub monte Setino in clivo planitiei proximo, quum is eſſet ſitus villarum magis illuſtrium, ejus ſcilicet Antoniæ gentis, Mœcenatis, & Auguſti quorum rura ita poſita erant, ut Appia, & clivus Setinorum montium eorum termini eſſent. Generoſitati, & bonitati ejus vini alludunt Juvenalis ſatyra 10.

. . . . *tunc illa time, quum pocula ſumes*
Gemmata: & lato Setinum ardebit in auro.

& idem Martialis lib. 4. epigr. 69.

Tu Setina quidem ſemper vel maſſica ponis
Pamphile: ſed rumor tam bona vina negat.

& lib. 6. epigr. 86.

Setinum, dominæque nives, denſique Trientes:
Quando ego vos, medico non prohibente, bibam?

iterumque lib. 8. epigr. 51.

Ceſte, decus menſæ, miſce Setina, videtur
Ipſe puer nobis, ipſe ſitire caper.

Statius etiam Sylvar. lib. 2. ad finem:

. . . . *nec quod tibi Setia canos*
Reſtinxit cineres, gremio nec lubricus oſſa,
Quod vallavit onyx . . . . .

quibus verſibus prodidit rogum clariſſimorum virorum Romæ aſpergi ſolitum vino Setino: en verba Calderini interpretis Statii: *Nec inquit umbræ tuæ, & tibi gratius fuit, quod rogus fuerit aſperſus vino Setino, id autem tribuebatur clariſſimis viris*, quod equidem notandum eſt, quum nemo antiquorum præter Statium id manifeſtum fecerit.

Sic & Olivis villas abundaſſe patet, quod in Antoniano monte, ſub quo fuit villa Antoniæ gentis adhuc appareant in rupibus veſtigia ſaxorum cavorum, in quibus non niſi olivæ juxta uſum ejus regionis ſeri quibant. Olivas enim primum in Latio plantatas ætate Servii Tullii Romanorum Regis memoriæ mandavit Plinius lib. 15. cap. 1.

Hæc Antoniorum villa celeberrima fuit, & vetuſtiſſima, ejuſque ſitus talis erat: Roma venientibus per Appiam non procul à foro Appio in diverticulo viæ Setinæ inter lapidem quadrageſimum primum, & quadrageſimum ſecundum erat pons antiquiſſimi operis, quem nunc accolæ Pontem S. Ceciliæ vocant ab Eccleſia ejus nominis olim illi proxima, cujus pontis typum hìc exhibemus. Hunc pontem antiquos conſtruxiſſe puto, quod per eum locum flueret Romanæ Reipublicæ initiis exiguus fluvius, quem Setini flumicellum nuncupant, qui dein in Ufentem præcipitabat, & mutato curſu per foſſam tandem, quam *Cavatellam* appellant decurrere coactus eſt arte Appii Claudii, aut Cethegi Conſulis, qui, uti ſuperiori Capite 16. diximus, Pomptinas paludes exſiccarunt. Paullo cis Antoniæ gentis villa incipiebat, totamque eam planitiem,



tiem, quæ Antoniano monti ſubjacet occupabat, immo ſummitatem laudati montis attingebat. In hoc ſitu erant fontes aquarum quin & ſulphurei, qui per ſubterraneos cuniculos canalibus impoſitis in Balneum deducebantur. Balnei veſtigia hodieque apparent in medio ejus planitiei, in qua, uti fama eſt, aquæductus fictiles ſæpe effoſſi ſunt.

Sub clivo ejus montis, qui duobus milliariis à Setia diſſitus eſt, conſpiciuntur rudera illuſtrium ædium, quarum quatuor fornices nunc etiam aſſurgunt, ejus tamen circuitus ad quadringentos pedes protendebatur, quemadmodum ex ruderibus circumquaque ſubtus terram poſitis juxta ſchema, quod ſequitur patet. Ejus villæ meminit Cicero lib. 2. de Orat. ubi inducit Cæſarem cum Craſſo, & Antonio ita diſputantem: *Sed jam tu*, inquit, *Antoni, qui in hoc diverſorio ſermonis mei libenter aquieturum te eſſe dixiſti, tamquam in Pomptinum diverteris, neque amœnum, neque ſalubrem locum: cenſeo ut ſatis diù te putes requieſſe, & iter reliquum conficere pergas*. Hic Tullius, qui de jocis oratorum diſputationem contulerat, jocari voluit, & aſſerere, quod uti Pomptinum prædium Antonii neque gratum erat, neque ſalubre, ita totus ejus diſputationis locus nec ſuavis fuerat, nec utilis, quamquam Manutius ſcholiaſtes Ciceronis aliter ſentiat: quod mihi perſuaſerit nemo, quum ſenſus verborum, quæ jam retulimus ſatis planus ſit. Hunc Tullianum locum diſertiſſime illuſtratum arbitror ex jam adductis, præſertim quum tota illa regio, in qua ſitam Antoniæ gentis villam in Setino diximus, Antoniana, & mons Antonianus hodieque nuncupetur. Quin & in vetuſta Sancti Ligdani Abbatis Benedictini vita, quam in Latio ſacro dabimus, atque in aliis antiquiſſimis Setinorum ſcripturis idem mons, & planities eodem vocitatur nomine ab Antoniorum villa, quamvis nunc accolæ eum montem corrupto nomine *Antignanum* dicant, & locum ubi ædes villæ erant appellent *le Grotte del Campo*, qui locus occurrit Roma venientibus non procul à via Conſulari, qua Romanorum ætate iter non erat, ſed per Appiam.

Id ipſum teſtatur Ligorius in MSS. Otthobonianis voce *Vini*, quo loci prodit Antoniam gentem in Tuſculano, atque in Setino

rus

rus poſſediſſe. Porro in regione proxima ubi Sulmo erat, nunc Sirminetum, libertos fortaſſe Antoniæ familiæ prædia habuiſſe conſtat ex ſepulcrali ſaxo apud Ligorium in MSS. Otthobonianis.

D. M
M. ANTON. M. F. ANIEN
MATRINIO EVOK AVG
VIX. ANN. XXXII. M. VIII
M. ANTONIVS M. F. ANIEN
PRIMIGENIVS
MEDICVS FACT. RVSSAT.
FRATRI SANCTISSIMO FECIT

unde conſtat hos fuiſſe libertos Antoniorum, quum frater Matrinii eſſet medicus factionis Ruſſatæ, ideſt aurigarum, qui Circenſes agitabant ex Tertullian. lib. de Spectac. cap. 9.: *Talibus auctoribus Quadrigæ productæ, merito, & aurigis coloribus idololatriam veſtierunt, & ab initio duo ſoli fuerunt, albus, & ruſſeus albus hyemi ob nives candidas, ruſſeus æſtati ob ſolis ruborem voti erant, ſed poſtea tam voluptate, quam ſuperſtitione provecta, ruſſeum alii Marti, alii album Zephyris conſecraverunt, Praſinum verò terræ matri, Venetum cælo, & mari, vel Autumno.*

Villam hanc Antonia gens plurimum adamavit, quod jactaret auctorem familiæ fuiſſe Anteonem, ſeu Antonem Herculis filium, aut quemadmodum alii affirmant, Antonam Nympham Tiberinam, quæ Evandri ætate cum Hercule concubuerit teſtimonio Plutarchi in Antonia. Itaque quum huic genti Tutelaris Deus eſſet Hercules, uti numiſmata M. Antonii Triumviri manifeſtum faciunt, & proprie illa cuſa à Pomponio Muſa Ædili Curuli, qui quum ævo Auguſti filiam Antonii medici deſponſaſſet, ut Sponſæ familiæ alluderet in denariis Herculem ducem muſarum, & muſas ipſas repræſentaſſe dicitur teſte Ligorio in MSS. Otthobonianis verbo *Antonia*; hinc ad perpetuandam memoriam ejus rei, facile eſt ambitioſam gentem antiquitus adeptam prædium in Setina Colonia, quam Latini, & Setini Herculem condidiſſe dicebant uti Cap. 1. & 6. probatum

tum est, & ob eam causam puto Setinos semper Antoniæ genti devotos, & clientes fuisse etiam Triumviratus tempore ejus factionis contra Octavium, sicuti diximus Cap. 2. ad finem.

Sunt qui prodant in ruderibus ædiculæ ejus villæ lapidem effossum cum inscriptione:

FECVND. FAVNAE

ut ita Antonii alluderent Faunæ, quam Herculem constuprasse narrabant, & ex ea Latinum procreasse, à quo Latina gens nomen accepit ex traditis Lib. I. Latii Profani Cap. 4. & 5. Fides tamen ejus rei sit apud eosdem, quum lapidem in loco designato non viderim, neque aliquid certi asserere possim.

Ex Collectione Canonum Cardinalis Deusdedit inedita, quæ servatur in Vaticana Bibliotheca lib. 3. cap. 149. hæc habentur: *Theodosiæ honestæ fœminæ fundum Antinianum cum omnibus suis via Appia milliario ab Urbe Roma plus minus XX. ex corpore Massæ Nevianæ patrimonii Appiæ præstantem L. auri solidos*, quibus verbis hæc villa, quæ Appiæ contermina erat, & fundus Antinianus, seu Antonianus vocabatur, videtur enunciari, & nota XX. esse mendosa, & loco ejus XXXX. esse legendum, quo fit eum fundum à Theodosia nobili fœmina Ecclesiæ Romanæ relictum. Et quidem si milliariorum numerus ibi descriptus mendosus esset, res certa foret, quamquam Antinianus,& non Antonianus fundus ibidem asseratur; nam juvat meminisse Thermas Antonini Caracallæ sub monte Aventino ab antiquis Antonianas dictas ex Martino Polono lib. 1. cap. 6. de Palatijs Antinianas dein corrupto nomine fuisse vocitatas testimonio Andreæ Fulvii de Antiquit. Romæ lib. 3. cap. 28. pag. 88. qui sic scribit: *Nella Regione della Piscina, sono ancora in piedi certi grandi edificij, e mezzi rovinati dette Terme Antoniane, e questo luogo hoggi da' Romani per vocabolo corrotto è chiamato Antignano*, quod & tradit Lucius Faunus de Urb. Roma lib. 3. cap. 2. pag. 79.; quæ satis sint ad villam Antoniæ gentis in Setino illustrandam.

CAPUT XIX.

De villis Augusti, Mœcenatis, Attici, Vitelliæ, Corneliæ, & aliarum Romanarum gentium in agro Setino.

TPomponium Atticum Ciceronis amicum villam in Setino, alteram in Tusculano, necnon in Antiati, & Terracinensi agris habuisse literis mandavit Ligorius in MSS. Otthobonianis voce *Vini*, unde verò id hauserit viris doctis non liquet; nam Cornelius Nepos, qui Attici vitam diligenter descripsit, frugalitatem ejus commemorans ait: *Parique fastigio steterit in utraque fortuna, nullos sabuerit hortos, nullam suburbanam, aut maritimam sumptuobam villam, neque in Italia præter Ardeatinum, & Nomentanum rusticum prædium.* Hic locus Nepotis vel mutilus est, vel erroneus, quum pateat ex Cicerone lib. 1. epist. 2. ad Atticum, eum in Epyro villam studiis, & libris dicatam possedisse: en Tullii verba: *Ego enim te arbitror cæsis apud Amaltheam tuam victimis statim esse ad Sicyonem oppugnandum profectum*, ubi Manutius sic subjicit: *Amalthea in Epyro Attici villa studiis, & libris dicata, quemadmodum Academia Ciceronis Puteolos inter, & Avernum lacum in litore*; quare patet hanc fuisse illustrem Attici villam, quamquam Cornelius Nepos haud ejus meminerit. Porrò & in Pomptino Attici villam sitam habemus ex eodem Cicerone lib. 7. epist. 5. ad eundem: *Sed de Formiano*, inquit, *Terracinam pridie Calendas Januarii, inde Pomptinum tuum, inde Albanum Pompei: ita ad urbem tertio Nonas Natali meo.* Codices sunt, in quibus legitur *inde Pontinium sumam*, qui sane mendosi sunt teste Manutio in eum locum, qui ita legit: *Pontinum prædium ad Pomptinas paludes & ita ratio dierum constat: pridie Calendas Terracinam, Calendis in Pontinum, IV. Nonas in Albanum, III. Nonas Romam.: verbum sumam crediderim abundare, & additum ab aliquo, qui de Pontinio Ciceronis Legato acceperit.* Ego affirmare ausim loco

Pon-

Pontinium ſumam legendum *Pomptinum tuum*: voluit quippe Cicero enunciare ſe Terracinæ pridie Calendas manſurum, ſequenti verò die in villa Attici, quæ in Pontino erat, & quæ nonniſi in Setino eſſe poterat: ſic enim ratio dierum conſtat, quum per Appiam Terracina diſſita eſſet à Setino agro milliariis viginti, & ultra.

Hæc de Attici villa, cujus ſitus obſcurus eſt. Erat & in eodem agro villa Auguſti, cujus meminit Ligorius ipſe loco jam dicto: nemo tamen quod ſciam eam memorat, quum tamen palam ſit Auguſtum prædium amplum in Setino habuiſſe ex Plinio ſuperiori Cap. 18. relato, is enim teſtatur eum Principem Setino vino plurimum delectatum, quæ ſi vera ſunt, nemo prudens rerum æſtimator arbitrabitur Octavio Imperatori prædium in Setino defuiſſe, ex quo vina, quæ frequenter bibebat, colligerentur. His ſi addas ſiccatis Pomptinis paludibus Auguſtum in iis prædium ſibi feciſſe, quemadmodum Cap. 16. ſcripſimus, res in propatulo erit. Hanc villam alteri Mœcenatis finitimam ſatis compertum eſt ex ſequentibus; quandoquidem plures ſunt, qui Mœcenatis villam ſtatuunt in ea parte clivi Setini, quæ ſubjacet viæ, qua Setiam nunc itur non procul ab Eccleſia, quam vulgus vocat *Acquaviva*, & hæc eſt Setinorum vetuſta fama. Veruntamen ii allucinantur, quum Mœcenatis villa ſita eſſet in loco, qui nunc dicitur *il Pantanello* ſub eodem monte Setino. Hujus rei meminit Ligorius alio loco, ubi tradit in ruderibus Thermarum, quæ illic jacent effoſſum ævo Cardinalis Ferrarienſis priſcum Cippum mutilum cum iſtiuſmodi inſcriptione:

. . . . . .

AQVIL. D. D

unde Ligorius putat eam villam Aquiliæ gentis fuiſſe: perperam tamen, quum ipſe Cippus palam faciat eam Mœcenatis; nam relatam dedicationem Mœcenati patrono Aquilam ejus Libertum feciſſe ſuſpicor, is namque ad celeritatem ſcribendi notas quaſdam literarum excogitaſſe dicitur ex Dione lib. 55. *Primus Mœcenas ad celeritatem ſcribendi notas quaſdam literarum excogitavit: quam rem*

rem Aquilæ Liberti miniſterio multos docuit quamquam Iſidorus Orig. lib. 1. cap. 21. ſoli ejus Liberto Aquilæ notarum inventionem tribuat his verbis: *Vulgares notas Ennius primus mille, & centum invenit*, mox addit, *Romæ primus Tullius Tiro Ciceronis Libertus commentus eſt notas, ſed tantum præpoſitionum: poſt eum Tertius Perſannius Phylargipus, & Aquila Libertus Mœcenatis alias addiderunt: deinde Seneca contracto omnium, digeſtoque numero opus effecit in quinque millia.* Hæc Iſidorus, in cujus verbis multa deſiderat Lipſius Centur. 1. ad Belgas epiſt. 27. qui pro *Ennio* Perſannium reſcribit, quum de Ennio nuſquam id lectum. Movet & me fama vetuſtiſſima Setinorum, qui in ea Regione Mœcenatis prædium ſtatuerunt, quamquam in alio ſitu à deſignato quingentis paſſibus diſſito uti jam diximus; itidem quod Cajus Cilnius Mœcenas Pomptinæ Tribui adſcriptus eſſet teſtimonio antiqui marmoris reperti via Gabina apud Meibomium in Mœcenatis vita cap. 28. ad finem.

LIBERTORVM ET LIBERTARVM
C. MOECENATIS
L. F. POMPT
POSTERISQ. EORVM ET QVI AD ID
TVENDVM CONTVLERVNT
CONTVLERINT

quod & patet ex Cippo apud Fabrettum Inſcript. cap. 10. pag. 750. num. 569.

C. CILNIO P. F. POM
PAETINO
LEGAT. TI. CAESARIS AVG
PRAETORI TRIBVN
PLEBIS
QVAESTORI TRIBVN
MILITVM
PROCONSVLI

Lucem

Lucem Ligorio à Plinio dari posse sunt qui existimant si accuratius expendantur, quæ de vinis Italiæ generosioribus is tradit lib. 24. cap. 6. ubi inter alia vina palmam obtinere ait: *à supero mari Prætutitia, atque Anconæ nascentia, & quæ à palma una forte enata Palmesia appellantur: in mediterraneo vero Cesenatia, ac Mœcenatia, in Veronensi Rhetica.* Hinc arguunt Mœcenatia fuisse vina, quæ Mœcenatis rure nascebantur, & quemadmodum Setina erant firmissima, collecta in Mœcenatis villa cæteris erant generosiora: ferunt enim Mœcenatem primum Cæcubis vinis ex Cæcubis vitibus in Pomptinum translatis delectatum; dein ejus exemplo Augustum & Horatium Epodon Ode 9. iis vinis allusisse eo carmine.

Quando repostum Cæcubum ad festas dapes,
Victore lætus Cæsare,
Tecum sub alta, sic Jovi gratum domo
Beate Mœcenas, bibam.

uti diximus Cap. 18. & interpretes Horatii innuunt. Seneca etiam epist. 114. quam fere totam Mœcenati criminando conscripsit, eum mollem, & adeo delicatum probat, ut vina pretiosissima biberet, ædesque in villis haberet, ubi parietes advectis trans maria marmoribus fulgerent.

At hos Varro lib. 7. de Ling. Latin. carpit, dum ait: *Hinc quoque nomina illa, Lesas, Ufenas, Carinas, Mœcenas, quæ cum essent à loco, ut Urbinas, tamen Urbinus ab heis debuerunt dici*, qui locus Varronis quamvis corruptus, neque integer satis, probat regionem, seu oppidum fuisse, cui Mœcenas nomen; unde lumen Plinio, qui quum cætera omnia vina descripta in verbis jam adductis denominet à locis, Mœcenatia utique non aliunde etiam denominasse constat, quam à natali loco mediterraneo Cesenæ finitimo; sed doctiorum hæc judicio discutienda relinquo.

Illud mihi probat Mœcenatis villam in enunciato situ positam, quod illic appareant rudera nobilium, atque illustrium Thermarum. Paulus Merula Cosmograph. par. 2. lib. 4. pag. 833. Circum sumptuosissimi operis ibidem extructum tradit: *Inter Setiam, & Casas novas apparent in radice montis veteris ædificii ruinæ in Circi modum factæ*, errat tamen, quum rudera, quorum typum

hic

hic ſubjicio Thermas exhibeant teſtimonio Ligorii, qui eas à ſeculis ferè duobus jam lapſis viſitavit. Enimvero Mœcenatem, plurimum natatione delectatum ferunt, adeo ut tradant eum ruri Thermas habuiſſe, & calidarum natationem primum Romæ, & in Italia inſtituiſſe ex Dione lib. 55. qui ita ſcribit: *Primus quoque*, Mœcenas ſcilicet, *Romæ natatorium calidis aquis refertum inſtituit*. Dionem, ut ſolet, ferè totidem verbis exſcribit Xiphilinus in Epitom. & Fridericus Sylburgius vir Græcè doctiſſimus, inſtitutionem illam Mœcenatis natatorii calidi in dubium vocat ob eam cauſam, quod nihil ea de re apud Latinos auctores extet, & ſuſpicatur à Dione per imprudentiam Mœcenatem nominatum pro Agrippa, cujus vaporarium Laconicum, ſive lavacrum inculcat Ammianus lib. 29. & Spartianus in Adriano. Verum vix veriſimile eſt, Dionem, qui præſertim tam recenter lib. 54. Balnei Agrippæ meminerat, lib. 55. ubi exprofeſſo de Mœcenate agit, quæque in vita invenerat recenſet, tam imprudenter lapſum, ſuique ipſius oblitum, uti Meibomius in Mœcenatis vita cap. 26. ſcribit.

Erat itaque fabrica hæc Thermarum ampla fornicibus, porticibus, & piſcinis ſuffulta, uti in hunc uſque diem rudera ejus indicant: proxime ſcaturiunt fontes aquarum, quorum unus ſulphureus eſt, & ſic, ni fallor, facile eſt Mœcenatem natatoria frigida, & calida ibidem extruxiſſe, viridaria etiam, vineas, oliveta, agroſque culturæ aptos habuiſſe, quum locus amæniſſimus ſit, & longitudine mille fermè paſſuum ſub monte, ac circumquaque clivum occurrant ruinæ veterum ædificiorum, quæ oſtendunt illic magnificam fuiſſe villam, per Mœcenatem, Auguſto quem ſcripſit hæredem, relictam ex eodem Dionem loco relato, & Suetonio in Auguſto.

Finitima huic fortaſſe fuit villa Auguſti in regione, quam *il Palazzo* appellant, ubi rudera inſignis villæ viſuntur palude Pomptina ferè abſorpta: quamquam ſint qui dicant eo loci horrea Imperatorum, ubi frumenta in Pomptino collecta ſervarentur, fuiſſe. Cujuſmodi tamen ædes eæ eſſent, arbitror eas ad Auguſtum pertinuiſſe, quod is Pomptinas paludes ſiccaſſet, & primum ex iis ſibi, & ſequutis Principibus prædium feciſſet, quemadmodum Cap. 16. dixi: mihi quoque id ipſum ſuadet regionis vetuſtiſſimum nomen,

Pala-

Palatium nempe: quo ſanè nomine vocabantur ſolæ Principis ædes, uti viri docti obſervant, præſertim quod in Setino eſſent rura Antoniorum, Mœcenatis, Attici, & alia, quæ infra enumerabimus: & quidem cum ædibus, quas tamen hocce nomine Palatii accolæ non honorarunt. Præterea meminiſſe juvat eam familiaritatem inter Mœcenatem, & Auguſtum coaluiſſe, ut vulgo Mœcenas Auguſti, & Auguſtus Mœcenatis jactaretur, Plutarcho in Apophth. Lacon. teſte: quare literis produnt vix ullum fuiſſe Auguſto prædium ruſticum, cui aliud Mœcenatis non eſſet conterminum, quemadmodum in Tiburtino, ſi ſcholiaſti Horatii lib. 3. Ode 29. credimus, Ligorio, & Martio hiſt. Tiburt. lib. 5.

Corneliam etiam gentem in Setinorum agro, & in loco, qui hodieque dicitur *i Maruti* rus poſſediſſe conſtat ex eodem Ligorio in MSS. Otthobonianis verbo *Pomptiniana & Pontiniano* quemadmodum Capite 16. dictum eſt, ubi retuli lapidem terminalem eo loci effoſſum Ligorii ætate, probantem eum agrum fuiſſe P. Cornelii Cethegi Conſulis, qui Pater fertur M. Cornelii Cethegi, quem narrant in Conſulatu paludes Pomptinas ſiccaſſe. Sparſæ ibidem viſuntur reliquiæ priſcorum murorum: at quid indicent neutiquam apparet.

Vitellios in iſtiuſmodi ſitu villam illuſtrem habuiſſe prodit idem Ligorius voce *Villa*, quod arguit à denominatione Regionis, quam tunc *la Vitellia* vocitabant, nunc autem corrupto nomine *i Vitilli*, & quod illic ſaxum impreſſo P. Vitellii nomine effoſſum vidiſſet. Veriſimile porrò eſt P. Vitellium procuratorem rerum Auguſti Equitem Romanum, & Auum Auli Vitellii Imperatoris, de quo Suetonius in Vitellio cap. 2. id prædium acquiſiviſſe poſtquam Auguſtus Pomptinas paludes ad culturam revocaverat; ejus tamen rei præter Ligorium nullus auctor, quod ſciam, meminit, quamquam veriſſimum ſit eum locum antiquitus nuncupatum *la Vitellia*, hodieque *i Vitilli*.

De Villa Juliæ familiæ inter Setinos, & Lepinos montes in loco ubi ſitum eſt Caſtrum Baſſiani ſub ditione nobiliſſimæ Cajetanæ gentis, nil compertum habeo; quamquam pleriſque arrideat id Caſtrum dictum à T. Julio Pætino Baſſiano patrono Coloniæ

Terracinenſis, qui illuc æſtate divertebat, & magnificam villam fecerat ex inſcriptione Terracinæ effoſſa apud Gruterum pag. 424.

T. IVLIO T. FILIO PAETINO
BASSIANO PATRON. COLONIAE

atque alia apud Fabrettum Inſcript. cap. 1. pag. 37.

TI. IVLIO TI. F. STEL
PAETINO
BASSIANO PROC
AVG. XX. HER. PRAEF
CLAS. MIS. TRIB. LEG. I.
ITALICAE PATR. COLON
T. FLAVIVS T. F. OVFEN
OPTATVS II. VIR. F. COER

quam etiam ad Coloniam Terracinenſem pertinere arbitror, quum Flavia gens inibi eſſet ex Gruteri theſauro pag. 1019.

Baſſianorum nulla apud ſcriptores extat mentio, quemadmodum neque Burſionum, quos tamen Juliæ gentis fuiſſe patuit ex relatis Cippis, atque ex denario apud Fulvium Urſinum in Julia VII. pag. 136. itaque is Titus Julius Pætinus Baſſianus Tribus Stellatinæ, Procurator Auguſti vigeſimæ hæreditatum, Præfectus Claſſis Miſenatis, Tribunus Legionis primæ Italicæ, ac patronus Coloniæ Terracinenſis, nomen dediſſe traditur loco, ubi nunc Laſſiani Caſtrum eſt, de quo nil certi compertum habeo.

Dixi ſuperiori Capite 11. ſub monte Trebarum Privernum verſus, in Setino atque in planitie duobus montibus incluſa jacere rudera præclaræ villæ eo loci, quem accolæ *Vallejavone* nuncupant; ibidem enim ſunt ruinæ Cryptarum, fornicum, & murorum, quos diceres vetuſtæ Urbis veſtigia indicare; cujus tamen id rus eſſet, aſſequi nequaquam potui: mihi ſæpe blanditus ſum id prædium Æmilii Philemonis fuiſſe, quod Cicero lib. 7. epiſt. 18. ad Trebatium in Pomptino eius villam ſtatuat, nam ſcribens Trebatio: *Has literas*, inquit,

inquit, *scripsi in Pontino cum ad villam M. Æmilii Philemonis divertissem VI. Idus Aprilis de Pontino*. Codices sunt, in quibus pro Æmilio, *Metrilius* legitur, mendose tamen, quum Manutius, & alii scribant Philemonem Libertum fuisse Æmiliæ gentis, ac ditissimum hominem, & fortasse eum, de quo Pædianus in argumento orationis pro Milone ait: *Munatius Plancus Tribunus plebis produxerat in concionem M. Æmilium Philemonem Libertum M. Lepidi*, quæ tamen in incerto vagantur.

Cæterum ego arbitror Anniæ, & Fulviæ gentis, Titinnii Comici, aliarumque familiarum, quarum elenchum sequentibus Capitibus exponam, in Setino prædia, & villas fuisse, quarum positus incertus est. Porrò ex eodem Ligorio voce *Ufentina* habes in eodem agro positum rus Albiæ gentis, quemadmodum ex prisco Cippo cum epigraphe:

L. ALBIVS L. F. OVFENTINA
MASSILIVS EQ. ROM
FECIT SIBI ET
SVIS LIBERIS POSTER
EORVM

Villa quoque Lucii Clodiani Madiitiani Liberti Theodosii Imperatoris, & Procuratoris clientum Palatinorum ex eodem Ligorio verbo *Madiitiano*, Salliæ etiam familiæ in diverticulo viæ Setinæ haud procul ab Appia stetit, uti patuit ex lapide relato hoc Libro Cap. 2. Hirpinejæ itidem, & Eburiæ, ac aliarum familiarum, quarum nomina infra suo loco prodam: quamquam mihi liqueat Ligorii fidem pluribus doctis viris, Fabretto præsertim, & Cardinali Norisio suspectam, fortasse quod is Architectus Cardinalis Pii Ferrariensis, quem plurimum delectatum ferunt in veterum rerum monumentis effodiendis; lapidum effossorum notas inscienter exarans, mendosas inscriptiones exhibuerit; vix tamen credi potest eum vafritie lapides confinxisse, & loca, quibus ii eruti fuerant, familias, & dignitates in istiusmodi saxis expressas ingeniose excogitasse. Ego enim ex antiquorum traditione habeo Cardinalem laudatum

datum opera Ligorii usum omnia ferè vetustissima loca agri Setini, & Latiaris, in quibus rudera apparebant, excavasse, statuas quoque plures, columnas, & lapides priscos in iis invenisse, quorum nomenclator Ligorius fuit, qui tametsi lapidum notas indocte explicaverit, pluribusque erroribus historiam fœdaverit, id tamen ejus insciticæ, non calliditati adscribendum est. Itaque libenter eodem utor, sed caute, & unde carpserit, quæ refert, inquiro: neque ejus inscriptiones, & nuncupationes locorum, ubi cippi effossi sunt, commentitias asserere ausim, quum sciam doctissimos viros, Panvinium, Pignorium, Sponium, & his similes iis cippis usos, ejusque fidem in dubium haud vocasse: hæc dicta velim in Ligorii apologiam, neve pereat memoria locorum ubi plura monumenta vetustissima Romæ posita effossa sunt, quorum ipse oculatus testis tantummodo meminit.

CAPUT XX.

De Appia via in Setino agro.

APpiam emensurus, primùm de ejus viæ situ, nomine, & conditoribus, dein de locis, villis, & urbibus, quæ in eam incidebant dicam. Hanc viam à Porta Capena, vel ut Spartianus in Geta, & Severi vita, & Julius Capitolinus scribunt, intra Urbem à Septizonio Severi principium habuisse memoriæ proditum est. Capenam dictam eam portam, quæ nunc Sancti Sebastiani vocitatur, quod per eam iter esset Capenam Urbem Latinorum non incelebrem, quam Siculos juxta Albam condidisse Solinus lib. 2. memorat, verius à Camænis lucis, & æde Camænarum, quæ extra eam portam erant, nomen accepisse scribunt Servius, Pædianus, Victor, & Sextus Rufus, quos laudat Panvinius de Repub. Rom. tit. *de Porta Capena*. Hanc rem enucleat Festus lib. 1. his verbis: *Appia via, & aqua ab Appio Claudio est appellata, cujus initium est à Porta Capena*. Frontinus itidem de Aquæduct. lib. 1. *Appia Aqua inducta est ab Appio Claudio Censore, cui postea Cæco fuit cognomen M. Valerio Maximo, &*

P. De-

P. Decio Mure Cos. Anno XX. post initium belli Samnitici, qui & Viam Appiam à Porta Capena usque ad Urbem Capuam muniendam curavit. Propertius lib. 4.

Armaque cum tulero portæ votiva Capenæ.

Et Juvenalis Satyr. 4.

Subsitit ad veteres arcus, madidamque Capenam.

Quibus versibus Propertius innuit eam viam Triumphalem quoque dictam, quod per illam Triumphantes pompam ducerent teste Marliano de Rom. Antiq. lib. 1. cap. 7., & Juvenalis madidam Capenam cecinit, ut intelligeretur eamdem esse & Portam Fontinalem ex eodem Marliano mox adducto, uti dictum est lib. 1. cap. 22., quamquam aliter sentiat Panvinius, qui *Madidam* eam nuncupatam ait, quod inter cæteras portas depressior esset, vel ob aquæductus prope ipsam derivati formam.

Itaque ejus viæ conditor Appius Claudius Cœcus fertur, qui in censura, quam gessit M. Valerio Maximo, & P. Decio mure Cos. à Roma Capuam usque Appiam constravit ex Livio lib. 7., Frontino, Cicerone pro Milone, Auctore de Vir. Illustr., & aliis; quod patet ex prisco Lapide recensente titulum, & honores Appii apud Ligorium, & Pighium Annal. lib. 5. ad annum V. C. 461., qui tamen de ejus veritate dubitat.

APPIVS CLAVDIVS
C. F. COECVS
CENSOR COS. BIS DICT. INTERREX III.
PRAETOR II. AED. CVR. II. Q.
TRI. MIL. III. COMPLVRA
OPPIDA DE SAMNITIBVS CEPIT
SABINORVM, ET TVSCORVM EXERCITVM
FVDIT PACEM FIERI CVM PYRRHO
REGE PROHIBVIT. IN CENSVRA VIAM
APPIAM STRAVIT, ET AQVAM IN
VRBEM ADDVXIT AEDEM BELLONAE
FECIT

Item

Item ex Diodoro Siculo lib. 20. ubi ait: *Appiam viam à se sic nominatam magna ex parte duris lapidibus à Roma ad Capuam constravit, quod intervallum est stadiorum plus mille, & loca eminentia solo complanando, & depressa, cavaque magnis aggeribus exæquando, universum ærarium publicum exhausit.* Atque ita apud Appii nomen, operum honos permansit. Porro Appium hanc Viam à Roma Brundusium stravisse literis mandarunt Auctor de Vir. Illustr., & Tacitus lib. 2., perperàm tamen quum ex Frontino, Diodoro Siculo, & aliis satis compertum sit Appium Capuam usque eam viam muniviſſe, nec potuisse illam Brundusium perducere, nam fines Imperii Romani tunc ultra Capuam non protendebantur uti arguit Lipsius Commentator Taciti in lib. 2., & arrisit Panvinio, & Peregrino de Antiq. Capuæ disc. 2. cap. 31. de Appia.

Sunt qui dicant Appiam aliquot dierum intervallo constructam, vel intra annum Censuræ Claudii juxta opinionem antiquorum mox relatam. At ego puto tantum opus perfici vix potuisse spatio plurium annorum, quum ut Appius viam sterneret in Pomptino, per decem ferè milliaria debuerit Pomptinas paludes exsiccare, quod sanè fieri haud potuit uno anno. Itaque quum eum censuram invitis Patribus usque ad Consulatum protraxisse quidam Annales prodant, & Auctor de Vir. Illustr. quinquennio eam continuasse narret, arbitror hoc spatio eum Appiam Viam terminasse ex Pighio lib. 5. Annal. ad Annum 441., quo is viam hanc cœptam scribit, quamvis alii anno V. C. 445. id contigisse arbitrentur. Hoc ut magis credam facit latitudo, ac longitudo ejus viæ, quæ adeo lata est, ut plaustra duo ex adverso invicem occurrentia liberè transire queant, adeòque est longa ut centum quadraginta circiter mille passibus se extendat; Lapides siliceos quibus via constrata est ex alia regione Appium vehendos curasse Procopius lib. 1. belli Gothici scribit. Quidam sanè referunt duos se montes in Campania vidisse ex quibus saxa illa coloris, duritieique ferreæ excindi essent solita, alterum propè Sueſſam, alterum ad mare inter Puteolos, & Neapolim, & quum ii silices lati sint quaqua versus ternos, quaternos, & aliquando quinos pedes, hinc intelligitur nonnisi immensis sumptibus, & multo tempore eam viam constratam. Quis verò Appiam à Capua

Brun-

Erunduſium perduxerit non liquet. Plures, & præ cæteris Panvinius, Alexander Gen. lib. 3. cap. 13., & Lipſius id C. Cæſari tribuunt ex Plutarcho in Cæſare narrante eum ingentes prodegiſſe pecunias, quum illi hujus viæ cura eſſet commiſſa. Alii Caio Graccho Tribuno Plebis, qui traditur omnes ferè vias publicas refeciſſe, ſaxiſque quadratis, & politis, atque aggeribus muniviſſe, edixiſſe etiam, ut eæ lapidibus milliaria diſcernentibus notarentur, & pontibus inſtruerentur: quin certis intervallis muri fierent, ſuper quibus facile quis equos conſcendere poſſet, teſte Plutarcho in C. Graccho, & Roſino lib. 8. cap. 31.. Plerique demum, inter quos Peregrinus loco relato, id factum putant Republica Romana florente, & poſtquam Romani Græciam penetrarunt, quod mihi arridet, nam ante Cæſaris dictaturam, imo Civilis belli tempore inter Cæſarem, & Pompejum jam via hæc Brunduſium erat perducta teſtimonio Ciceronis lib. 8. epiſt. 16., & 12., ac 13. ad Atticum; Quandoquidem hæc via Brunduſium uſque munita fuit, ut iter facile in Græciam eſſet ſi fides danda eſt Straboni lib. 6. *E Græcia, & Aſia rectus eſt Brunduſium trajectus, omneſque huc deferuntur, quibus inde Romam iter eſt*, & Ciceroni Philippic. 1. *Cum Brunduſium, iterque illud, quod tritum in Græciam eſt non ſine cauſa vitaſſem, Kal. Sextilibus veni Syracuſas, quod ab Urbe ea tranſmiſſio in Græciam laudabatur*, quo fit longè ante Cæſarem, & C. Gracchum eam viam conſtructam, quum ante prædictos Romani Græciam frequentare cœpiſſent.

Alexander relato cap. 13. putat Appiam penè collapſam Auguſtum ſibi muniendam deſumpſiſſe; at eum carpit Tiraquellus memoria lapſum Appiam pro Flaminia Auguſto tribuiſſe ſcribens: Ego verò Alexandro adhæreo, nam uti ſcripſimus Cap. 16. Auguſtus paludes Pomptinas exſiccans Appiam reſtituit, & aggere munivit: Veſpaſianus itidem in Cenſura, quam geſſit hanc viam refeciſſe, & lapidibus eleganti ſpecie ſtatutis ſtraviſſe ſatis compertum habeo ex ſequenti cippo ſeptimo ab Urbe lapide per Appiam effoſſo.

VII
IMP. CAESAR
VESPASIANVS AVG
PONTIF. MAX
TRIB. POTEST. VII
IMP. XVII. P. P
CENSOR
COS. VII. DESIGN. VIII

Dein eam refecit Nerva Coccejus, & poſt eum Trajanus, exſiccatiſque paludibus Pomptinis, exciſis collibus, aggeratis vallibus, ſaxis conſtratis, ac pontibus exſtructis permeabilem fecit, & metis milliariis ornavit, quemadmodum ſcripſimus ſupra Cap. 16., & ob eam cauſam viam iſtam Trajanam dictam fuiſſe probat P. Victor, & argenteus nummus Trajani cum hac Inſcriptione:

VIA TRAIANA

ex Panvinio de Republ. Rom. tit. de Appia, & tit. de Via Trajana, Ligorio etiam voce *Via*, ubi ſubdit Trajanum præterea Terracinam verſus diverticulum feciſſe ab Appia in Amyclanum ſinum, item & aliam viam, qua facile à Tuſculo Setiam, & inde Terracinam per Appiam iter eſſet, quæ clariora forent ſi priſco cippo quem Ligorius loco relato adducit credendum eſſet: Lapis talis eſt:

IMP. CAESAR
DIVI NERVAE F
NERVA TRAIANVS
AVG. GERM. DACIC
PONT. MAX. TRIB. POT.
XIII. IMP. VI. COS. V
P. P
VIAM A BENEVENTO
BRVNDVSIVM
SVA . . . . FECIT

Ve-

Vereor tamen ne lapis ſit recens. Subjicit Ligorius dictam eam viam Valeriam Claudiam, & Ulpiam Claudiam, quod eam reſtituerit Valerius Cenſor ſub Trajano, quod tamen nullibi legitur. Domitianam etiam dictam Appiam produnt interpretes Martialis, & præ cæteris Calderinus ad lib. 10. epigr. in Macrum, quod is Imperator eam Viam curante Macro inſtauraſſet in locis paludi Pomptinæ finitimis, & ab Urbe ad octavum lapidem, ubi ejus Templum ſub Herculis imagine conſtructum erat, ut infra dicam.

Hujus Viæ Domitianæ Neapolim verſus meminit Statius in proœmio 4. libr. Silvar. & carm. 4., quam in Appiam incidiſſe arguit Panvinius ex ſequentibus Statii carminibus:

Quis duri ſilicis, graviſque ferri
Immanis ſonus æquori propinquum
Saxoſæ latus Appiæ replevit?

ex quibus Peregrinus innuit Domitianum in hoc quoque tractu Campaniæ felicis Appiam reſtauraſſe. Sic Antoninus Pius Imperator Capuam verſus iſtiuſmodi viam reſtituiſſe dicitur teſtimonio Panvinii, qui id probari aſſerit ex inſcriptione Pontis ſupra Vulturnum amnem, quam Peregrinus de Antiq. Cap. diſc. 2. cap. 12. pag. 16. refert:

IMP. CAESAR AVG. M. AVREL
ANTONINVS PIVS FE
LIX AVG. PARTHICVS MAX
BRITANNICVS MAX. P. M. P. P
COS. III. DESIGN. IIII
VIAM INVNDATIONE AQVAE
INTERRVPTAM RESTITVIT

Hanc etiam adducit Gruterus in Theſauro pag. 151., qui eam inſcriptionem ſæculo Antonini haud dignam cenſet, ſed forſan à poſteris reſtitutam: facile tamen eſt Antoninum Appiam pluribus locis reſtauraſſe, quum ejus ævo terræmotus non ſine interitu Civitatum, inundationes fluminum, & multa his ſimilia infortunia evenerint ex Auctore vitæ Viror. Illuſtr., & Capitolino in ejus vita, qui refert

eum Vias Urbis, atque itinerum publicorum diligentiſſime curaſſe.

Reſtituit demum eam viam Valens Imperator, & in illa pontem Valentinum dictum extruxit ex Marliano Antiq. Urb. lib. 7. cap. 17., nec non Theodericus Gothorum Rex curante Decio Baſilio Mauro, qui Pomptinas paludes exſiccavit ſicuti ſcripſimus Cap. 17. Cæterum Romani Curatores Viarum conſtituerunt poſt creationem duorum Prætorum, urbani videlicet, & peregrini ex Pomponio tit. 2. de origin. Jur. ubi ait: *Conſtituti ſunt eodem tempore & quatuor viri, qui curam viarum agerent*, Cicerone epiſt. 1. ad Atticum, & Plinio Jun. lib. 5. epiſt. ad Pontium; & Appiam maxime curarunt quemadmodum ſequens cippus apud Fabrettum Inſcrip. cap. 1. pag. 51. demonſtrat;

C. IVLIO ASPRO
COS. PRAETORI
CVRATORI VIAE
APPIAE SODALI
AVGVSTALI TRIB
PR. PR. QVAESTORI
PROVI: AFRICAE CV
RATORI AEDIVM SACR
SEX VMIDIVS
ARTEMIDORVS
AMICO
INCOMPARABILI

Quirites enim non ſolum viarum Conſularium, ſed & municipalium, & quæ in Colonias ducebant, Curatores creavere, uti ex lapidibus cap. 1. relatis patuit, & ex ſequenti ab eodem Fabretto Inſcript. cap. 1. pag. 29. adducto:

CN. MVNATIVS M. F. PAL
AVRELIVS BASSVS
PROC. AVG
PRAEF. FABR. PRAEF. COH. III

SA-

SAGITTARIORVM PRAEF. COH. ITERVM
ASTVRVM. CENSITOR CIVIVM
ROMANORVM COLONIAE VICTORI
CENSIS QVAE EST IN BRITANNIA
CAMALODVNI. CVRATOR
VIAE NOMENTANAE PATR. EIVSDEM
MVNICIP. FLAMEN PERPETVVS
DVVMVIRALI POTESTATE
AEDILIS DICTATOR IIII

Hinc facilè intelligitur ſequens inſcriptio per Fabrettum cap. 10. Inſcript. pag. 717. adducta :

D. M
M. VLPI AVG. LIB
EVTYCHI
TABVL. VIAE APPIAE
VIX. ANN. XXXX
FLAVIA
DAPHNE
CONIVGI B. M
FECIT

Et altera quam refert Ligorius voce *Appia*.

MVSEO
MANCIPI VIAE APPIAE
HERENNIA
CONIVGI
BENEMERENTI
FECIT

Hi Cippi probant Curatores Appiæ conſueviſſe id opus locare, nam primos omnium vias ſternendas locaſſe Q. Fulvium Flaccum, & A. Poſtumium Albinum Cenſores Anno V. C. DLXXX. auctor

est Livius lib. 41.; quamobrem Museus manceps Appiæ inscribitur, conductor scilicet, sicuti Paulus in lege *qui fidejussor* Digestis *locat.*, & Cicero pro Roscio, & Suetonius in Vespasiano scribunt; & Ulpius Augusti Libertus ejus viæ Tabularius, idest præpositus tabulis locationum, & negociorum ejus viæ obsignandis, servandisque.

Structuram Appiæ Procopius lib. 1. belli Gothici in hunc modum describit: *Appius siquidem ex alia, & longinqua tunc regione (ut reor) excisos lapides, & hos quidem siliceos, & suapte natura durissimos in hanc viam vehendos curavit: Quos complanatos, & leves postea redditos, quadratosque circumcidendo factos invicem collocavit, metalli nihil, vel rei alterius inserendo: Sunt autem ita connexi, & inter se tam valide condensati, ut speciem præseferant visentibus non compositos esse, sed natura editos: & quamvis diuturno hi tempore atterantur, plaustrisque frequentibus, & quibusvis animantibus continenter pervii sint, suo tamen ex nexu ne parumper quidem discedunt, vel comminuti franguntur, nec sui quicquam amittunt nitoris.*

Ejus longitudo est millium passuum circiter CCCL.; quam ob rem rectè Statius ad Pollium scribit:

. . . . . *Quam limite noto*
Appia longarum teritur regina viarum.

& Procopius mox relatus subjicit: *Tum ille via Appia exercitum duxit; Appia ad lævam dimissa, quam Appius Censor nongentis ante annis construxerat, exque se illi indiderat nomen: Appiæ viæ longitudinem quinque dierum spatio emetiri expeditus vir aliquis poterit: Ab Urbe Roma hæc Capuam pertinet, sed ea latitudine patet, ut plaustra duo ex adverso invicem occurrentia libere hac queant pervadere: Et sanè hæc est præter cæteras omnes, via quidem spectatu dignissima*; Veruntamen quum Procopius longitudinem Appiæ Capuam usque memoret, nequaquam crediderim spatio quinque dierum expeditum virum eam emitiri potuisse, nam Livius lib. 9. Claudium spatio trium dierum, & Benjaminus Tudelensis in suo Itinerario duorum eam se emensum prodit, nisi dicas Procopium itineris Appiæ Brundusium usque meminisse.

Hæc de Appiæ structura, longitudine, ejusque Conditoribus.

Hunc

Hunc delibare juvat loca memoranda, & Urbes quæ in eam respiciebant. Ex Itinerario Hierosolymitano Appiæ itinera sic computantur.

Ad Nono	IX
Ariciam, & Albam	VII
Tres Tabernas	VII
Sponsas	XIV
Appi foro	VII
Ad medias	IX
Terracina	X
Fundis	XIII
Formias	XII
Menturnas	IX
Sinvessa m.	IX
Ad Ponte Campano m.	IX
Ad Octavum m.	VIII
Capua	. . .

Ex altero Antonini ita Roma.

Ariciam m. pl. m.	XVI
Tres Tabernas m. p. m.	XVII (VII)
Appi forum m. p. m.	XVIII (XXI)
Terracinam m. p. m.	XVIII
Fundos m. p. m.	XVI (XIII)
Formias m. p. m.	XIII
Miturnas m. p. m.	IX
Sinvessa	
Ponte Campano	IX
Ad Octavum	IX
Capua	VIII

Pan-

Panvinius loco jam dicto addit huic Itinerario Privernum, quæ Urbs nequaquam Appiæ finitima fuit, quamvis ei immineret, quemadmodum Setia, Cora, & Lanuvium, quas Urbes in Appia ſtatuit Livius lib.6. *Ipſe*, inquit (Fulvius ſcilicet) *per Appiæ municipia, quæque propter eam viam ſunt, Setiam, Soram, Lanvinium præmiſit, ut commeatus paratos & in urbibus haberent, & ex agris deviis in viam præferrent*, quam lectionem mendoſam viri docti putant, & loco Soram, & Lavinium, legendum, Coram, Lanuvium, quæ oppida Appiæ imminebant

Ex Tabulis vetuſtis ſic

	Roma Via Appia
Bobellas	X
Aricia	III
Sub Lanubio	. . .
Tres Tabernas	. . .
. . . . .	X
Terracina	. . .

Hæc ſunt loca notata in Itinerariis, quamquam plura, & quidem illuſtria in illis deſcripta haud ſint, quorum nuncupationes referre auſim. Quippe hanc viam, uti diximus, intra Urbem principium habuiſſe haud procul à Piſcina publica demonſtrat Spartianus in vita Getæ quum ait: *Occiſus Geta illatus eſt majorum ſepulchro, hoc eſt Severi, quod eſt in Appia via euntibus ad partem dexteram ſpecie Septizonii extructum, quod ſibi ille vivus ornaverat*, quamquam idem Spartianus in Severi vita Severum Septizonium ſub Palatio conſtruxiſſe ſcribat, & in Appia, ut ex Africa venientibus ſuum opus occurreret. Primum itaque inſignis ſtructuræ opus in Appia locatum Septizonium fuit, quod Plinius Septizolium appellat, ubi Imperatorum cineres condebantur ex Marliano lib. 3. Antiq. Urb. cap. 17.: dein prope ædiculam, quam vulgò nuncupant *Domine, quo vadis* monumentum viſebatur Arriæ gentis juxta lapidem relatum à Ligorio voce *Arria* cum hac epigraphe:

ARRIO-

A R R I O R V M M O N V M
I N F R. P E D. XX. I N A G R. P. XXX
A. A R R I V S A. F. L E M. F E R O X
P. A R R I V S G N. F. L E M. V A L E N T I N V S
L. A R R I V S P. F. T R O M. S C V R R V S T R I B. M I L I T
L E G. X. A V G. C O M M. C O N S. F E C E R

Extra Capenam portam, quæ dicta etiam est Appia, erat fontis delubrum, ubi duos fontes fuisse produnt, & primum fontinalia sacra quotannis agitata ex relatis Lib. 1. Latii Profan. Cap. 22. pag. 292. quod arrisit Ligorio in MSS. Otthobonianis voce *Appia via*; dein paulò cis spatio quingentorum passuum Appiam ornabant ædes Apollinis, Spei, Minervæ, Honoris, & Virtutis, atque Tempestatis ex Marliano lib. 7. cap. 17., & Panvinio loco superius relato: Honori, Virtuti, & Tempestati eas ædes dedicasse narrant M. Marcellum prope monumentum suæ gentis inibi extructum, quemadmodum Valerius Maximus, Ovidius, pluresque antiqui testantur, & præ cæteris Cicero in L. Pisonem, & ibi Pædianus hæc subdens: *M. Marcellus nepos ejus Marcelli, qui bello Punico Secundo Syracusas vicit, & quinque Consulatus adeptus est, qui naufragio ad Africam periit paulò ante cœptum bellum Punicum tertium: idem cum statuas sibi, patri, avoque poneret in monumentis avi sui ad Honoris, & Virtutis ædem scripsit: III. Marcelli Novies Cos.: fuerat autem avus ejus quinquies, pater semel, ipse ter: Itaque neque mentitus est, & apud imperitiores Patris sui splendorem auxit*: Hujus rei meminit & Livius lib. 5. subdens Marcellum ea templa ornasse signis, tabulisque, quibus abundabant Syracusæ, & lib. 9. ubi refert ædem Virtutis M. Marcellum dedicasse ad Capenam septimodecimo anno postquam à Patre ejus primo consulatu vota in Gallia ad Clastidium fuerat.

Haud procul ædes Feroniæ uti arguitur ex fragmento ibidem effosso relato per Fabrettum Inscript. cap. 6. pag. 451. quod hic subjicio.

SEX.

SEX. AVDIENVS C. L
FERONIAE
D. L. M

Sequebatur ſepulchrum Theſſali Medici, qui vixerat Neronis Principatu, de quo hæc habet Plinius lib.29. cap.1. *Theſſalus Medicus quidam Neronis Principatu delevit cuncta majorum placita, & rabie quadam in omnes ævi medicos peroravit: Quali prudentia, ingenioque æſtimari vel uno argumento abundè poteſt, cum monumento ſuo, quod eſt in Appia via, Satronicem ſe inſcripſerit,* ubi Commentator, in ſitu, quem narravimus id ſepulchrum locat. An autem eo loci fuerit, & monumentum Corvi Avis, qui duorum Æthiopum humeris elatus eſt præcedente tibicine, & prælatis coronis omnium generum, de qua re multa apud eundem Plinium lib. 10. cap. 31. mihi non liquet, quamquam in Appia eum Corvum cum pompa ſepultum idem Plinius, aliique perhibeant.

Deinde ad lapidem primum elegans delubrum Martis, quod Martis extramuranei templum dictum Panvinius refert, Bellatoris autem, vel Gradivi Marlianus cap. 17. Uterque putat id templum paulò extra Capenam locatum, contra lectionem Livii libro 10. qui ædiles Curules ex multatitia pecunia ſemitam ſaxo quadrato à Capena Porta ad Martis ſtraviſſe refert, & iterum lib. 38. ubi ait: *Cenſores viam ſilice ſternendam à Porta Capena ad Martis locaverunt*, quod ſanè innuit Martis ædem non ita proximam Capenæ fuiſſe, quin intervallo haud modico diſſitam quemadmodum regerunt interpretes Ovidii lib.6. Faſtor. ad ea carmina:

Lux eadem Marti feſta eſt, quam proſpicit extra
Appoſitum rectæ porta Capena viæ:

Hoc templum à Sulla felice reſtitutum, ampliatumque, ac ſupra centum Columnas poſitum ferunt ex Plutarcho, Panvinio, & aliis; in eodem cuſtoditum ancyle Martis, quod è cœlo Numæ ætate delapſum jactabant teſtatur Marlianus loco mox adducto, de quo tamen conſulas Lib.1. Lat. Profan. cap.22. Juxta hanc ædem Martis erat Lapis manalis, quem in Urbem ſolemni pompa ſacrorum de-

deferre ſolebant Sacerdotes ad aquam pluviam petendam teſtimonio Feſti lib. 11. *Manalem etiam*, is inquit, *lapidem vocabant petram quandam, quæ erat extra Portam Capenam juxta ædem Martis, quam cum propter nimiam ſiccitatem in Urbem protraherent, inſequebatur pluvia ſtatim: eumque quod aquas manaret, manalem lapidem dixere*, & Varronis de Vit. popul. Rom. apud Fulgentium de priſco ſermone: *Manalis lapis appellatur in Pontificalibus ſacris, qui tunc movetur, cum pluviæ exoptantur*, quod & Marlianus, Panvinius, & Alexander Gen. lib. 4. cap. 16. notant. Hanc ædem Martis extra Capenam memorat Cicero lib. 3. epiſt. 7. ad Q. Fratrem: *Romæ, & maximè ad Martis mira proluvies*. Hinc Scholiaſtes ejuſdem putant apud id templum fontes fuiſſe. Sunt qui affirment Silvani delubrum huic Martis ædi proximum ex ſequenti lapide in Appia effoſſo apud Fabrettum Inſcript. cap. 10. pag. 694.

SANCTO SILVANO
HERMADION
Q. GREPEREI MARTIALIS
ARCARIVS SVA PECVNIA D. D
DEDICATVS XI. K. NOVEMBR
SEX. ERVCIO CLARO II. ET
CN. CL. SEVERO COS

locus tamen ejus Templi in Appia poſiti in incerto vagatur.

Proximè extructus erat Circus, cujus reliquiæ apud ædem S. Sebaſtiani viſuntur, quem Antonini Caracallæ fuiſſe plerique ſine certa tamen auctoritate tradunt Panvinio teſte. Parum ultra eum Circum in loco, qui dicitur Caput Bovis, monumentum erat Liciniæ gentis, nam illic hæc ſupereſt inſcriptio:

CAECILIAE
Q. CRETICI F
METELLAE CRASSI

Hic titulus probat hanc fuiſſe uxorem M. Craſſi Divitis à Parthis

cum Publio filio magnæ ſpei adoleſcente occiſi, adverſus quos cum exercitu profectus Proconſule fuerat: itidem id ſepulchrum, in quo Cœciliæ cineres conditi ſunt ad ejus virum pertinuiſſe ex Panvinio, & Antonio Auguſtino in Licinia, unde arguitur M. Craſſi non unam Tertullam M. Luculli Conſularis viri filiam parum pudicam C. Cœſari traditam, ſed etiam Cœciliam uxores fuiſſe, quamquam non deſint, qui credant id monumentum Cœciliæ gentis fuiſſe, quod tamen in Appia ad quintum lapidem erat, ut infra dicam.

Haud procul lucus, ſeu vicus, & templum Camænis à M. Fulvio nobiliore dicatum, in quo Plinius apud Panvinium tit. de Via Capena, & Appia tradit L. Attium Poetam maxima forma ſtatuam ſibi poſuiſſe, quum tamen is brevis admodum eſſet. Hujus ædis, & luci meminerunt Servius ad lib. 7. Aeneid. in eum locum.

. . . . . *Lucoſque Capenos.*

Publius Victor, Sextus Aurelius, & alii. Huic luco conjunctus alter in valle Ægeriæ, qui etiam Camœnarum lucus dicebatur, & ſine æde ſacra, quam dein Fulvius muſis, uti dictum eſt, extruxit, cum valle, & pratis à Numa Camœnis dicatus. Illic erat fons Ægeriæ ſacer, & antrum, ad ſimilitudinem illius, quod in Aricino viſebatur, in quo non autem in Aricino plerique Romanarum rerum Scriptores fabulantur Numam congredi ſolitum cum Ægeria Nympha ex Plutarcho in Numa Livio lib. 1., & Juvenali ſatyr. 3.

Subſtitit ad veteres arcus, madidamque Capenam
Heic, ubi nocturnæ Numa conſtituebat amicæ
Nunc ſacri fontis nemus, & delubra locantur
Judæis, quorum cophinus, fœnumque ſupellex,
Omnis enim populo mercedem pendere juſſa eſt:
Arbor, & ejectis mendicat ſilva Camœnis.
In Vallem Egeriæ deſcendimus, & ſpeluncas
Diſſimiles veris . . . . . .

Ad hæc vetus interpres ſubjicit: *In via Appia ad Portam Capenam, ideſt ad Camœnas*, ubi Judæorum ſtatio Veſpaſiani ætate fuit Philone lib. 3. teſte, quorum lectionem falſam aſſeruimus Lib. I. Cap. 13., & carpit Cluverius lib. 3. Ital., quamvis Romani eum lucum, fontem, vallem, & antrum, quæ erant in Appia in loco, quem vulgus

nunc

nunc *la Caffarella* vocat, Camœnis, & Ægeriæ ſacraſſent in memoriam devotionis Numæ erga eam Nympham, uti notat Holſtenius in Cluverium Ital. antiq. ad pag. 932. linea 22., quum tamen lucum Ægeriæ, & Dianæ in Aricino dicaſſet Ægerius Lesbius Tuſculanus Dictator Latinus, ut is communis eſſet Tuſculanis, Aricinis, Lanuvinis, Laurentibus, Coranis, Tiburtinis, Pometinis, Ardeatibus, Rutuliſque, ſicuti ſcripſit Cato originum lib. 2. apud Priſcianum lib. 14., & Holſtenius in Cluverium Ital. antiq. ad pag. 923. lin. 19. de quibus conſulas lib. 1. cap. 27. In hac valle fuiſſe ſuſpicor locum Mercurio ſacrum, & aquam Mercurii dictam, ad quam quum populus conveniſſet, unuſquiſque lauri ramo alterius caput ea adſpergebat aqua Mercurium invocans, & hac luſtratione perjuria dilui opinabantur, mercatores maximè, qui ita uberes queſtus facere credebant ex Macrobio Saturn. lib. 1. cap. 12. & Panvinio loco ſuperius adducto, qui refert iſtiuſmodi Ovidii verſus:

Eſt aqua Mercurii portæ vicina Capenæ
Si juvat expertis credere, numen habet.

quamquam Marlianus dicto cap. 17. aquam Mercurii locet in foſſis Cloëliis ad quintum lapidem contra Ovidium, qui eam vicinam Capenæ aſſerit. Ego crediderim eam aquam in hac valle fuiſſe, quod Romani ad noſtram uſque ætatem Calendis Maii ad eum locum eant, & circumquaque fontes in Caffarella ſcaturientes, atque in pratis coronati lemniſcis, ſeu arborum frondibus edant, & ſaltent, & feſta agitent, redeantque ad Urbem cum coronis, & manu, lauri, aut alterius arboris ramos geſtantes: quæ ſi facta forent Idibus Maii, & ſic die feſto Mercurii, quo extra Capenam in fonte Mercurii ſimiles ſolemnitates actas fuiſſe diximus Lib. I. Cap. 17. & ſupra, nemo negaret prædicta etiam nunc facta quaſi ad priſtini ſacrificii reparationem: & tamen inſanus populus hæc non cogitans, quo animo, neſcio, Calendis Maii agitat id feſtum, quod fortaſſe Sanctiſſimi Præſules Idibus ipſis celebrare vetuerunt. Finitimum his erat monumentum Baſilii, quod Cicero lib. 7. epiſt. 9. ad Atticum Buſtum Baſilii appellat, qui locus conterminus ſilvis prædictis, latrociniis fuit perquam infamis teſtimonio Ciceronis mox adducti Aſconii in Milonianam, & Manutii Commentatoris Tullii.

Circumquaque id ſpatium à Capena ſcilicet ad ſecundum lapidem, Scipionum, & ſic Corneliæ, Serviliæ, Calatinorum, ideſt Atiliæ gentium monumenta poſita erant ex Cicerone lib. 1. Tuſcul. quæſt. non longè à principio: *An tu*, is inquit, *egreſſus porta Capena cum Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum ſepulchra vides, miſeros putas illos?* Ex Marliano, Panvinio, & aliis. Livius lib. 45. P. Scipionis Africani ſepulchrum Literni oſtendi narrat, ac lib. 38. Literni, & Romæ en ejus verba: *Alii Romæ, alii Literni & mortuum, & ſepultum, utrobique monumenta oſtenduntur, & ſtatuæ, nam & Literni monumentum, monumentoque ſtatua ſuperpoſita fuit, quam tempeſtate disjectam nuper vidimus ipſi; & Romæ extra Portam Capenam in Scipionum monumento tres ſtatuæ ſunt; quarum duæ P. & L. Scipionum dicuntur eſſe: Tertia Poetæ Q. Ennii*: Hæc Livius, qui paulò ante ſubdit Romæ vocitatum, Q. Terentium Culleonem Prætorem amicum Corneliæ familiæ pileatum, ſicuti in triumpho ierat, in funere P. Scipionis Romæ mortui, & elati, ante lectum iſſe, & ad portam Capenam uſque proſequutis funus dediſſe. Ex his intelligitur Scipionum gentile monumentum extra Capenam poſitum, in quo Ennius Poeta ſtatuam ſibi poſuit cum his carminibus in Baſi:

ASPICITE O CIVES SENIS ENNI
IMAGINIS FORMAM

Hic voſtrum Panxit maxuma facta Patrum
Nemo me lacrimis decoret, neque funera fletu
Faxit cur volito, vivus per ora virum

fuit & ibidem conditus Archias Poeta, ut auctor eſt Cicero pro Archia.

Palam eſt plura monumenta à porta Capena ad ſecundum lapidem per Appiam fuiſſe: Quandoquidem non procul à porta poſt Almonem fluviolum in loco, ubi Appia aſſurgere incipit, Libertorum Juliæ gentis ſepulchra poſita erant ubi teſte Fabretto Inſcript. cap. 1. pag. 10., & cap. 10. pag. 704. inter alios cippos hic effoſſus eſt anno 1639.

C. IV-

C. IVLIVS C. IVLII F. COL. VITALIS ET
C. IVLI ALEXANDRI LIBERTVS
PARATVS SIBI, ET CLODIAE
AMORI CONIVGI SVAE FECIT

& ſimilem refert Ligorius voce *Ariſtarcho*; Aquilliæ etiam gentis monumenta, & Lucretiæ, quorum meminit Ligorius MSS. Otthobonianis verbo *Aquillia*, & Fabrettus Inſcript. cap. 6. pag. 476. ubi prope ædem S. Sebaſtiani hunc erutum cippum teſtatur:

P. LVCRETIVS
P. L. STEPHANVS
PATRONVS
P. LVCRETIVS P. L
ANTHVS
IN FR. P. XII
IN AGR. P. XVI

Aureliæ itidem, Avilliæ, Aveniæ, & Attiæ ex Ligorio voce *Attii*, *Avenia*, *Aurelia*, & *Avillia*, qui lapides refert, nec non Petroniæ familiæ, ut indicio eſt lapis cum hac epigraphe apud Fabrettum Inſcript. cap. 3. fol. 211. num. 531.

P. PETRONIVS S P. F
PAL. ROMANVS
P. PETRONIVS HOSPES
PETRONIA ANTIOCHIS
P. PETRONIVS SOCRATES
P. PETRONIVS P. F. COL
. . . . IANVARIVS
CAECILIA) L. TRAIS SIBI
ET POSTERIS Q. EORVM

& ſimilis apud eundem dicto cap. 3. pag. 214. num. 546.

P. PE-

P. PETRONIVS
P. L. PHILOMVSVS
TOSOR DE VICO
SCAVRI IN FR. P. XII
IN AGR. P. XVI

quin auſim dicere nullam fere Romanam nobilem gentem fuiſſe, quæ in Appia monumento caruerit, ut titulos ſuæ nobilitatis, & honorum viderent, qui ex Græcia, Africa, & Aſia per Appiam Romam veniebant.

Lapide II. fuit Templum Ridiculi ibi excitatum, quod eo loco Hannibal caſtrametatus receſſerit illuſus ex Dione, & aliis apud Panvinium, & Marlianum jam adductos. Illic fundus Proclis dictus, cujus meminit cippus apud Fabrettum Inſcript. cap. 5. pag. 415. ad finem, & 416., & monumenta Quintiliæ gentis juxta lapides ibidem repertos, & ab eodem Fabretto cap. 4. num. 24. pag. 299., & cap. 3. num. 45. relatos.

Lapide III. erat ſepulchrum Duraniæ gentis cum hac Inſcriptione ex Schedis Vaticanis penes eumdem Fabrettum Inſcript. cap. 9. pag. 619. n. 165.

C. DVRANIVS Q. F. PAL. VARVOLA
DVRANIA LIVILLIANA
DVRANIA PRIMITIVA
FECERVNT
IN FR. P. XXII. IN AGR. P. XXII

& Sacellum Plutoni, ac Proſerpinæ, Deæ quoque viarum Præſidi, columnis ornatum, quod in Herodis prædio conſtitutum refert Ligorius voce *Appia Via*, ita ſcribens: *E vi era il Sacello di Proſerpina; e Plutone, e della Dea Preſidente delle Strade, poſto à trè miglia diſcoſto dalla Città, nel terreno di Herode, fatto con le colonne di marmo Auguſtale*; à quo verò id Ligorius hauſerit compertum non habeo.

Inter

Inter tertium, quartum, & quintum Lapidem locanda putaverim monumenta Pontiæ, & Sextiæ familiarum. Illud Pontiæ satis indicat Lapis in Thesauro Gruteri pag. 1042. in Appia:

PONTIA PRIMA M. PONTIVS M. F. PAPIA RVFVS
M. PONTIVS M. F. PAPIA POTVS
A. PONTIVS A. F. CALVENTVS
A. PONTIVS A. F. GALANVS
SEX. PONTIVS SEX. FIL. PAPIA VERVS
HOC MONVMENTVM
FECERVNT XII. NONAS MARTII CN. POMPEIO
STRABONE, ET L. PORCIO CATONE COSS

Aliud Sextiæ in eo situ arguitur ex sequenti Inscriptione, quæ in eodem Gruteri Thesauro pag. 1091.

S E X T I A E
FORTVNATAE CONIVXI SEXTIVS
APVSIVS SEXTII FIL
VET. BAEBIVS VI. VIR AVGVSTALIS VOLSCIS
LATINIS, ET TABVLARIVS SACR. AVGVST
F E C I T

Itidem sepulchra Ostiliæ, Sergiæ, Hortensiæ, Deciæ, Ventidiæ, & Meneniæ familiarum, quorum meminit Ligorius voce *Appia Via*. Tulliæ quoque gentis ex Marliano idem cap. 17., in quo fortasse effossum ævo Pomponii Læti crediderim cadaver, de quo Alexander ab Alexandro Gen. lib. 3. cap. 2. ad finem hæc habet: *Memini dùm Romæ agerem in vetustis sepulchris, quæ in Via Appia plurima visuntur, inter ædificia, hortosque, interque coagmenta lapidum erutum cadaver fuisse multo ævo vetustum, adolescentulæ mulieris, facie, capillo, oculis, naribus, & reliquis lineamentis prorsus integris, & incorruptis: nisi quod vestigia liquaminum, & unguentorum, quibus delibutum fuerat, apparebant: recenti specie, inscriptione nulla, qua nomen defunctæ innotesceret. Pomponius tamen*

vir,

vir, ut in ea ætate, veterum literarum impensè doctus, Tulliolam Marci Tullii Ciceronis filiam, de cujus obitu ad Servium Sulpicium sunt epistolæ, aut Priscillam Abascantii, de qua Sylva Papinii extat, fuisse augurabatur. Id quibus argumentis asseveraret, cum nulla inscriptionis vestigia extarent, prorsus nescimus. Hæc Alexander, qui si compertum habuisset in eo positu, ubi inventum est id cadaver, fuisse Tulliorum monumentum, facilè Pomponio consensisset. Idipsum refert Leander Albertus in descript. Latii subdens Alexandrum VI. Romanum Pontificem id cadaver in Tiberim præcipitari feciſſe, ne ea res Romanis religioni esset.

In hoc etiam spatio narrant positum sepulchrum Horatiæ Tergeminorum sororis, quæ extrà Capenam complorans antè conspectum fratris redeuntis cum spoliis unius ex Curiatiis, cui desponsata fuerat, ab eo confossa est, ejusque cadaver primùm projectum eo loci in fossam lapidibus, & terra ingesta obrutum traditur; dein ob facti immanitatem, absoluto sororicida à populo, sepultum in monumento saxo quadrato extructo, quo loco ea corruerat icta: quam rem narrant Dionysius lib. 3., Livius lib. 1., qui tamen antè ipsam Portam Capenam id sepulchrum statuit, quamvis recentiores ex Panvinio illud inter tertium, & quartum Lapidem locent.

Ad quintum lapidem primùm occurrebat ad dexteram Viæ Ustrinum, locus scilicet circumdatus muro, in quo corpora defunctorum cremabantur, cujus Ustrini figuram referunt Sponius sect. 9. pag. 290., & Fabrettus Inscript. cap. 3. pag. 230., quamquam Ligorius mox relatus ad quartum Lapidem illud statuat. Dein fossæ Cloeliæ, quas Cluilias plures vocitant, ità dictas à Cloelio Albanorum Dictatore ibidem mortuo, qui eo loci castrametatus est eo bello, quo Tergemini pugnam commiserunt teste Livio lib. 1., qui hanc fossam locat ad quintum Lapidem & Dionysio lib. 3. Illic erant sepulchra quinque, Curiatiorum nempè trium, & duorum Horatiorum hoc modo posita: Primum occurrebant Roma venientibus monumenta Curiatiorum, distantia tamen inter se locis, ut pugnatum, & illi confossi fuerant. Dein Albam versus, & sic in fine ejus fossæ duo sepulchra Horatiorum eodem loco, quo duo fratres ceciderunt, erecta. Rem universam ob oculos ponit Livius lib. 1., qui postquàm Tergeminorum

minorum pugnam narravit: *Ad sepulturam indè*, inquit, *suorum nequaquam paribus animis vertuntur, quippè imperio alteri aucti, alteri ditionis alienæ facti: sepulchra extant quo quisque loco cecidit: duo Romana uno loco propius Albam, tria Albana Romam versus, sed distantia locis ut & pugnatum est*; quibus verbis Livius innuit in spatio ejusdem fossæ constituta istiusmodi monumenta iis locis, quibus quisque confossus est, nàm Horatii ceciderunt in principio fossæ Albam versus, Curiatii in situ Romam respiciente, quod confirmat Martialis lib. 3. epigr. 47. his versibus:

Capena grandi porta, qua pluit gutta,
Phrygiæque matris Almo, qua lavat ferrum
Horatiorum, qua viret sacer campus,
Et qua pusilli fervet Herculis fanum:
Faustine plena Bassus ibat in rheda.

quemadmodum & Marlianus, Panvinius, Ligorius voce *Cœliæ fossæ*, Cluverius lib. 3. Ital. Antiq. pag. 916., qui subdit hasce fossas esse in loco, quem vulgus *Casale rotondo* nuncupat, & Kircherus Latii veteris par. 1. cap. 1. undè illi arguendi, qui Albani eo loci, quo ad dexterum latus Appiæ apparent tres cippi, tergeminorum Horatiorum, vel Curiatiorum monumentum statuunt contra testimonium Livii, & aliorum, quos jàm retulimus. Inter laudata sepulchra positum suspicor illud Cœciliæ gentis, uti intelligitur ex Cornelio Nepote in Attici vita ad finem, qui Atticum sepultum scribit *juxtà Viam Appiam ad quintum lapidem in monumento Q. Cœcilii avunculi sui*; ibidem Ligorius voce *Cœliæ fossæ*, & verbo *Cœlii* locat monumentum Cœliæ familiæ.

Hæ fossæ ferè ad dimidium sexti lapidis extendebantur: post eas ad sextum lapidem sunt qui statuunt monumentum Aureliorum, uti videre est apud Ligorium, voce *Aurelia*, qui tres inscriptiones ejus gentis ibidem effossas recenset, de quo nil certi affirmare possum.

Ad octavum lapidem villa Auli Persii Satyricorum facilè Principis, ubi eum mortuum, & sepultum tradunt ex veteri Interprete Persii in ejus vita. Proximum huic villæ templum Domitiano

dicatum, ubi is sub imagine Herculis colebatur. Hujus ædis meminit Martialis lib. 9. epigr. 60.

Herculis in magni vultus descendere Cæsar
Dignatus latiæ dat nova templa viæ:
Qua triviæ nemorosa petit dùm regna viator:
Octavum domina marmor ab Urbe legit.

Et epigrammate sequenti:

Antè colebatis votis, & sanguine largo
Majorem Alcidem: nunc minor iste colit:
Hunc magnas rogat alter opes: rogat alter honores
Illi securus vota minora facit.

Eodemque libro epigr. 98. ità canit:

Appia quam simul venerandus in Hercule Cæsar:
Consecrat Ausoniæ maxima fama viæ:
Si cupis Alcidæ cognoscere facta prioris
Disce . . . . . .

Et postquàm retulit facta Herculis, hæc subjicit:

Hæc minor Alcides: major quæ gesserit audi
Sextus ab Albana, quem colit arce lapis.

Hinc intelligitur in ea æde Domitiani statuam Herculem exhibentem positam, uti Scholiastes Martialis scribunt, qui addunt Poetam ultimo epigrammate perperàm locasse id templum ad sextum lapidem, quum illud ad octavum constitutum esset in prædio ejus Imperatoris in Via Appia ab Urbe octo mille passibus dissito, quemadmodùm arguit Fabrettus Inscript. cap. 7. num. 199. ex lateribus ibidem effossis cum hac epigraphe:

OPVS DOLIAR. EX PRAED. DD
N. N
EX FIG. DOMITIANIS MINOR

Ad nonum erat diversorium, uti innuit Itinerarium Hierosolymitanum, & paulò cis monumentum, in quo conditi sunt Gallienus Imperator, & Severus Cæsar Galerii sororis filius, à Maxentio occisus, ut auctor est Sextus Aurelius Victor, idque arrisit Panvinio loco addu-

adducto, undè Ligorius ſuſpicatur illic fuiſſe ſepulchrum Liciniæ gentis, quod ſupra locavimus in hac Via, haud procul à Caracalli circo.

Ad decimum juxtà vetuſtas Tabulas jàm relatas, occurrebant Bovillæ. Id Oppidum poſitum in Appia ſatis patet ex Breviatore Livii lib. 107., ubi ait: *P. Clodii à T. Annio Milone candidato Conſulatus, in Appia Via ad Bovillas occiſi, corpus plebs in Curia cremavit*; atque ex Cicerone pro Milone, Aſconio Pædiano in commentariis ad eam orationem, Appiano lib. 2. Bellorum Civilium, aliisque. An verò Bovillarum poſitus ad nonum, vel ad decimum eſſet, non leve diſſidium eſt inter Scriptores. Cluverius lib. 3. Ital. antiquæ pag. 918. inter nonum, & decimum lapidem id Oppidum ſtatuit, cui haud conſentit Holſtenius ità ſcribens: *Ego omnino exiſtimo Bovillas fuiſſe eo loco, ubi nunc eſt diverſorium* i Fratocchi *dictum, ubi Appia Via ex planitie agri Romani in collem Albanum aſcendere incipit. Hic paſſim ædificiorum antiquorum veſtigia ad utrumque viæ latus conſpiciuntur. Inde uno milliari verſus Romam tumuli ingentes ſepulchrorum extant, quorum uni turris rotunda inædificata cernitur. Exit hinc divertigium viæ veteris verſus viam Latinam: undè colligo hunc locum eſſe Itinerarium Hieroſolymitani ad IX. m. Confirmat hanc meam ſententiam, quod ad dictum diverſorium* Fratocchi *divertigium veteris viæ ſilicibus ſtratæ ex Ardeatina incidit, quam ego à prædio Falconiano Barberinæ familiæ continuò ductu hùc usque pertingere obſervavi.* Hæc Holſtenius, quem putarim præteriiſſe, hunc ſitum illuſtriorem fortaſſe cæteris Appiæ fuiſſe. Itaque puto inter nonum, & decimum lapidem non procul à Bovillis extitiſſe Juliæ gentis monumenta, & proximum illis ſacrarium gentis Juliæ, & loca, in quibus effigies Julio Cæſari, Auguſto, & cæteris ejus gentis Proceribus ſacratæ erant, quod intelligitur ex Tacito lib. 2.: *Sacrarium genti Juliæ, effigiesque Divo Auguſto apud Bovillas dicantur*; & lib. 15., ubi narrans vota facta pro puerperio Poppeæ Neronis uxoris: *Et additæ*, inquit, *ſupplicationes, templumque fœcunditati, & certamen ad exemplum Atticæ religionis decretum: utque Fortunarum effigies aureæ in ſolio Capitolini Jovis collocarentur: ludicrum Circenſe, ut Juliæ genti apud Bovillas, ità*

Claudiæ, Domitiæque apud Antium ederetur.

Ex hiſce Taciti verbis inducitur Tiberii Imperio ſacrarium Juliæ genti conſtructum non procul à Bovillis, illique proximum fuiſſe Circum, ubi quotannis Senatus in honorem ejus gentis Circenſes, & feſtas ſolemnitates agitaret; quemadmodum Suetonius in Claudio cap. 11. affirmat, & ſcribunt Æneas Vicus Parmenſis de Imagin. Auguſt. pag. 155., Edmundus Frigelius de Illuſtr. Roman. ſtat. cap. 32., unde lumen Suetonio in vita Auguſti cap. 100.: *Corpus*, is ait, *Decuriones Municipiorum, & Coloniarum à Nola Bovillas uſque deportarunt: à Bovillis equeſter ordo ſuſcepit, Urbique intulit.* Sed cur Bovillis, & non Ariciæ, quæ erat Colonia ob originem maternam Auguſto devota tota nocte corpus Auguſti cuſtoditum fuerit, uti Interpretes notant, facilè eſt intelligere ex prædictis, quippè Bovillis erant monumenta Juliæ gentis, & reliquiæ Albani populi, quemadmodum ſuo loco dicemus.

Nil mirum ſi inter nonum, & decimum lapidem ad utrumque Appiæ latus ingentium ſaxorum, & fabricarum diſperſi videantur acerui, nàm illic ſacrarium Juliæ gentis, loca ubi ſtatuæ Cæſaris, Auguſti, & Avorum poſitæ, Circus ubi Circenſes exhiberentur quotannis, domus, quas inhabitarent Sacerdotes, & Miniſtri ejus Sacrarii, monumenta Juliorum, Gallieni, & Severi erant, dein Bovillarum ædes, & delubra Deorum, quæ uſque ad diverſorium *i Fratocchi* dictum protendebantur, & ità Tabulæ reſpondent ſitui indicato.

Habes ex Holſtenio mox adducto ad nonum fuiſſe divertigium viæ veteris verſus Latinam, & ad decimum aliud quod in Ardeatinam incidebat. Non procul à Bovillis prædium Terentii Tragædiarum Scriptoris, quod ferunt ſitum in Appia ad Marii villam ex Gyraldo de Poetis dialog. 8. Dein villa Sextii Galli, in cujus fundo ædes Bonæ Deæ, ideſt Faunæ Fauni Latinorum Regis uxoris, propè quam Clodius à Milone commiſſa pugna primum vulnus accepit, ſi credimus Ciceroni in orat. pro Milone, & Aſconio Pædiano ejus commentatori, ubi id Bonæ Deæ ſacellum locat in Appia paulò ultrà Bovillas Albanum verſus, Appiano lib. 2. Bellorum Civilium Breviatori Livii cap. 107., Cluverio par. 3. pag. 918., ubi Holſtenius linea 28. ait: *Puto veſtigia hujus Sacelli extare medio circiter milliari ultrà di-*

ctum

ctum diverſorium i Fratocchi, *ubi primùm aſcenſus incipit clivi Albani*; atque inter id Templum, & Bovillas arbitror poſitam Tabernam, in quam delatus eſt Clodius jàm vulneratus, irruitque Milo, & ſemianimem Clodium extractum in media Appia trucidavit ex Cicerone, Aſconio, & Appiano.

Haud procul à Bonæ Deæ ſacello rus Clodii erat, quod extendebatur per montem, quo aſcenditur ad Caſtrum Gandulphi, & in Appiam deſinebat, quemadmodum ſatis liquidò patet ex eodem Cicerone. Dein uſque ad Albanum Domitiani Arruntiæ gentis ſepulchrum, in quo hunc lapidem erutum refert Fabrettus Inſcript. cap. 10. num. 283.

T. ARRVNTIO
IVLIANO
PRAEFECTO
FABRVM ET
IVLIAE ARRVNTIANAE
FILIAE EIVS

Antiſtiæ itidem familiæ uti probat ſaxum apud eumdem dicto cap. 10. num. 326.

M. ANTISTI M. F. FAB
M. ANTISTI M. F. F
SATVRNINI
PRECILIA Q. F. TERTIA FECIT
SIBI. VIRO. FILIO. LIBERTIS
LIBERTABVSQVE SVEIS

Vatiniæ etiam gentis villa, & monumentum ex Ligorio in MSS. Othobonianis voce *Vatiniano*, qui addit iſtiusmodi inſcriptionem eo loci effoſſam:

VALLONIAE VATINIANAE
S A C
C. VATINIVS L. F. PAL. ALBINIANVS
PRAEFECTVS PRAETORIVS

Et

Et Caſcelliæ, ſi fides danda eſt eidem voce *Caſcelliano* teſtanti in eo ſitu erutum lapidem terminalem cum hoc titulo:

CASCELLIANVS FVNDVS
LATER. PRIVAT. VIAE
PVBL. TERM. PED. CCCCLV
A. CASCELLIVS A. F. AEDIL. CVR.

Is fortaſſe fuit A. Caſcellius, quem Caſellium vocitat Horatius in Poetica, & Ligorius Caſcellium juxtà lapidem ſcribendum putat. Et in eo ſpatio à Bovillis Albanum uſque Domitiani, tumulos fuiſſe quamplures Albanorum, ſacrosque lucos prodit Cicero in orat. prædicta pro Milone, quos tamen, ne quorum fuerint ſciremus, temporis edacitas nobis invidit.

Sic loca, & itinera noni, decimi, & undecimi lapidis quantum res vetuſtiſſima patitur memoravimus. Ad duodecimum villa Domitiani fuit, cujus rudera, quæ ſummitatem montis, ubi Alba erat, pertingunt, oſtendunt illic Prætoria, Thermas, Amphitheatrum, ædesque inſignis ſtructuræ fuiſſe uti memorant Dion lib. 66. & 67. Suetonius in Domitiani vita cap. 4., Martialis, & alii relati Lib. I. Latii Profani cap. 15. Hic prædium ſe à Domitiano accepiſſe fatetur Statius Silvar. lib. 3. carm. 1. his verbis:

. . . . *Dardaniæ, quamvis ſub collibus Albæ,*
Rus proprium, magnique Ducis mihi munere currens
Unda, domi curas mulcere, æſtusque levare
Sufficerent . . . . . .

Ibidemque & patrem ſuum ſe tumulaſſe teſtatur dicto Silvarum lib. 5. carm. 3., quod eſt epicedion in patrem:

. . . . . *Vix hæc in munera ſolvo,*
Primum animum, tacitisque ſitum depellere curis,
Nunc etiam labente manu, nunc lumine ſicco,
Ordior adclivis tumulo, quo molle quieſcis,
Jugera noſtra tenens: ubi poſt Ænea fata
Solatus, Latiis ingeſſit montibus Albam
Aſcanius, Phrygios dùm pingueis ſanguine campos

Odit,

Odit, & infauſtum regnum dotale novercæ.
Heic ego te (nam Sicanii non mitius halat
Aura croci: dites nec ſic tibi rura Sabæi
Cinnama, odoratas nec Arabs decerpſit ariſtas)
Inſervi cum laude loci. . . . . .

Proximum Domitiani ruri, quod alii Cæſares poſt frequentarunt teſtimonio Gallicani in Avidio Caſſio, fuere Caſtra Prætoria, quorum meminit Capitolinus in Maximino, & Herodianus lib. 8., dein rus Pompei, in cujus ſitu conditum Albanum oppidulum à negociatoribus confluentibus ad ea Caſtra, & victui neceſſaria militibus ſuppeditantibus ſcribunt Cluverius lib. 3. pag. 914., Kircherus, & alii. Albani oppidi, & dein civitatis Epiſcopalis ſitum deſignat Procopius Bell. Gothic. lib. 2., villam verò Pompei in Albano, & in Appia memorant Plutarchus in Cicerone, & ipſe Cicero ad Atticum lib. 7. epiſt. 5., & in oratione pro C. Rabinio Poſthumo, Appianus lib. 1. Bell. Civil. Ibidem ſepulchra Pompejorum, & illud præſertim Pompei Magni, quod viri docti putant locatum eo loci, quo nunc è conſpectu Cœnobii Carmelitarum viſuntur quinque pyramides in formam conorum aſſurgentes, quarum duæ adhuc ferè integræ, reliquis corruptis conſpiciuntur in Appia ex Plutarcho in Pompejo ſcribente reliquias Pompei Magni ex Aſia Romam ad Corneliam relatas, in Albano tumulatas, & infrà, ubi prodit, quod quum Pompejus funus Juliæ uxoris ſuæ, ejusdemque filiæ Cæſaris apud Albanum pararet, à plebe coactus eſt in Campum Martium efferre; unde fit in hac villa monumenta Pompejorum poſita, quo verò loci pro certo affirmare non poſſum. Haud procul erant monumenta Flavidiæ gentis, quorum ſaxum ad dictum Carmelitarum Cœnobium translatum refert Fabrettus Inſcript. cap. 9. num. 194.

D. M
AVR. SALVTARIS
VIX. ANN. XVI. M. X
APRONIVS FELIX FLAVIDIA PRIMA
FILIO B. M

Hinc

Hinc apparet id monumentum potiùs ad Aproniam gentem pertinuiſſe, cujus ſepulchrum in Appia ſtatuit Ligorius.

Sunt qui dicant in ipſo ſitu, in quo Caſtra Prætoria locavimus, fuiſſe carcerem Albanum, cujus meminit Diodorus Siculus lib. 31., quemadmodum narratur in eclog. 1. ex dicto lib. 31. Diodori p. 893. Illuc juſſu Senatus Romani cuſtoditum ſeptem diebus memorant Perſeum Macedoniæ Regem cum Liberis antequam Conſules, quid perpetiendum illi foret, conſtituiſſent. Erat is carcer profundè effoſſus ſub terra, & ibi ſpecus cœnaculis decem lectorum capax, multique capite damnati illuc detrudebantur, ut ità in anguſto concluſi in unum commixtis alimentis, & excrementis, caligine, ac fœtore opprimerentur, ſi Diodoro fides danda eſt.

Ad 13. lapidem *Fundus Virginis* dictus, de quo cippus apud Fabrettum Inſcript. cap. 5. pag. 415. & 416., necnon villa M. Tarcheitis Equitis Romani, quam proximam Pompejano ruri in Appia ſtatuit Ligorius voce *Tarchitiano*, ubi refert ibidem ævo Cardinalis Ferrarienſis effoſſam nobilis ſtructuræ ſtatuam Æſculapii, baſimque marmoream rotundam, in qua ſculpta erant omnia Bacchi geſta, & ſaxum cum iſtiusmodi inſcriptione:

M. TARCHEITIS M. F. PRISCVS
EQ. ROMANVS.
DIANAE ARICINAE
BONAE DEAE D D

Et dein rus M. Pontii Celſi Præfecti Urbis ex Ligorio voce *Pontiano*. In hoc ſpatio Cluverius, & alii locant Ariciam, ſcilicet initio XIV. lapidis per Appiam, & in loco, ubi nunc oppidum ejus nominis occurrit: perperam tamen, quum Itinerarium Antonini, & Hieroſolymitanum ad decimum ſextum id oppidum ſtatuant, & quidem Dionyſius lib. 6. hæc habet: *Occurrerunt ſibi invicem ad Ariciam oppidum, quod CXX. ſtadia ab urbe Roma abeſt*; ſic Philoſtratus de Apollonii vita lib. 4. cap. 12. *Dùm in hoc ſtatu philoſophia eſſet, Apollonius Romam profectus eſt; quumque ſtadia CXX. abeſſet apud nemus, quod apud Ariciam eſt, incidit in Philolaum Cittien-*

Cittienſem; & Strabo lib. 5. *Poſt Albanum montem in via Appia urbs eſt Aricia CLX. ſtadia ab Roma ſitu concavo: arce tamen edita, & natura loci munita*, quem locum mendoſum putant interpretes, & loco CLX. eſſe legendum CXX.: tot ſtadia Dionyſii, ac Strabonis ætate conficiebant millia paſſuum XV. uti Cluverio arridet, qui tamen arbitratur laudatos Scriptores computaſſe itinera nemoris, & lacus Dianæ quindecim mille paſſibus ab Roma diſſiti, non autem Ariciæ urbis, quemadmodum ſcribit lib 3. pag. 920.

Ad hæc Holſtenius in adnotat. ad ejusdem Cluverii pag. 920. lin. 33. 41. & 46. ſubjicit Cluverium hallucinatum, & veterem Ariciæ ſitum fuiſſe autumat ad XV. lapidem per Appiam, itineraria verò, quæ eam urbem locant ad XVI. computaſſe milliaria poſterioris ævi more, quo ſeptem ſtadia cum dimidio ſingula milliaria conficiebant: quæ opinio mihi magis arridet, quum poſitus Ariciæ deſcriptus à Strabone ſitui oppidi recentis haud conſentiat, & in valle Aricina, per quam Appia protenditur permulta occurrant ſepulchrorum, aliorumque ædificiorum veſtigia, propriè circumquaque decimum quintum lapidem, quæ ſatis teſtantur ibidem poſitam vetuſtam Ariciam ſitu concavo in collem dein deſinentem. Itaque poſt Ariciam, aſcendebat Appia, & per nemus Aricinum, & Virbii clivum tranſibat, inde ad ſiniſtram, lacum, & nemus Dianæ Aricinæ attingens, ſpectabat fanum Dianæ in imo fundo ad ſeptentrionalem ejus lacus partem conſtructum, uti placet Holſtenio, & deſinebat in eum locum, ubi nunc ſub Cinthiani caſtro inter Lanuvium, & laudatum nemus Dianæ, reliquiæ Appiæ apparent uſque ad pontem vulgò dictum *di San Gennarello*. In eo ſitu inter Ariciam, & nemus per Appiam magna monumentorum extant veſtigia, & ſuſpicor ibidem fuiſſe villam Vitellii, cujus meminit Tacitus lib. 19. cap. 36., alteram Julii Cæſaris, quam eum diruiſſe memorat Suetonius in Cæſare cap. 46., quia non tota ad animum ei reſponderat, multaque ſimilia Romanorum Prætoria, quum locus eſſet celeberrimus ob ſacrificiorum novitatem, ſitus amænitatem, & Appiæ vicinitatem, ob quam rem jàm diximus Romanos expetiiſſe villas, & ſepulchra in Appia conſtituere, ut venientes ex Græcia, Africa, & Aſia eorum titulos antequam Romam perveniſſent in marmoribus inciſos legerent.

Itaque jàm ferè ad decimum ſeptimum lapidem Appiæ pervenimus, ubi fortaſſe incipiebat rus Bojoniæ familiæ Lanuvinæ, undè Antoninus Pius Imperator, & alii Cæſares ejus gentis orti ſunt, & nati in ea villa, cujus rudera ad dexteram Appiæ viſuntur, & extenduntur Lanuvium verſus ex Sexto Aurelio Victore in Cæſaribus, Capitolino in Antonino Pio, Ælio Lampridio in Commodo, aliisque.

Illic etiam erant monumenta Riciniæ familiæ ex ſaxo in eo ſitu effoſſo, quod refert Fabrettus Inſcript. cap. 5. pag. 386. num. 225.

CN. RICINIO CN. F. PVP. PERSAE SCR
TRI. MIL. AVVNCVLO
POMPONIAE L. F. RVFAE MATRI
THORIAE A. F. AVIAE
L. ALBIVS L. F. FAB. RVFVS SER. AED
QVINTIAE RVFAE VXSORI

Hic Appia deſcendit, & ſub Lanuvio ducit uſque ad pontem laudatum, quem vulgus pontem *di San Gennaro*, aut *di San Gennarello* vocitat, quamvis ſint, qui ſcribant ex Strabone libro 5. Lanuvium in ipſa Appia poſitum: quod falſum eſt teſtimonio Cluverii, & Holſtenii, quin tabularum vetuſtarum, & evidentiæ loci. Illic puto fuiſſe divertigium, quod ex Appia Lanuvium tendebat; neque deſunt, qui locent in iſtiusmodi Appiæ ſitu, & in colle finitimo nemus Junonis Argolicæ, ſive ſoſpitæ, ubi draconis erat antrum, dein ædes Deæ ſacrata, ac Lanuvium, uti videre eſt apud Cluverium Ital. antiq. lib. 3. pag. 397. ad finem, & 398., quod tamen incertum eſt. In loco, ubi pontem *di San Gennarello* conſtructum diximus ſub ipſo Lanuvii oppido id ſaxum erutum prodit Fabrettus Inſcript. cap. 9. pag. 659. num. 497.

C. SVLPICIO VICTORI
PATRI EE. QQ. RR. HOMINI
INNOCENTISSIMO PATRONO
MVNICIPI S. P. L

OB

OB INPAREM OBSEQVIVM
ET ERGA SE IMMENSAM
MVNIFICENTIAM EIVS
EQVESTREM PONENDAM
CENSVERVNT DEDICARVNTQVE
OB CVIVS DEDICATIONEM
VIRITIM DIVISIT
DECVRIONIBVS ET AVGVSTALIBVS
ET CVRIIS N. XXIIII
ET CVRIAE
MVLIERVM EPVLVM
DVPLVM DEDIT

Hinc lumen Tacito Annal. lib. 3. cap. 48. qui Sulpicium Quirinium Conſulem ſub Divo Auguſto, inſignia triumphi adeptum, datumque Rectorem C. Cæſari Armeniam obtinenti, Lanuvinum facit, à quo deſcendiſſe puto C. Sulpicium Victorem, quem lapis relatus municipem Lanuvinum enunciat.

Ex his conjicitur eo loci fuiſſe illuſtres Lanuvinorum ædes, aut forum, in quo res venales tranſeuntibus per Appiam venderentur, neque puto eum lapidem è Lanuvii ruderibus translatum, at illic poſitum, ut dedicatio Lanuvinorum C. Sulpicio Victori facta, & cauſæ ejus inſcriptæ euntibus per Appiam eſſent obviæ.

Ligorius ſtatuit eodem loco ſepulchrum Salluſtiæ gentis, eique conſentit inſcriptio ſequens, relata per Fabrettum dicto cap. 9. pag. 661. num. 513., qui prodit eam effoſſam circumquaque ſitum jam dictum:

SALLVSTI P. F. LVCVLLI
. . . . . VSINIA MATER
FILIO PIENTISSIMO
. . . . . EROTYLLO
. . . . . IVS
. . . HLO ATIMETO ET SIBI
. . . RELIGIOSO LOCO

. . . AVCTVS POSITVS EST
NE QVIS VELIT
LOCO INIVRIAM FECISSE
. . . . . PER QVIETEM
. . . . . TITVLO CAVI

Ab eo loco ad tres Tabernas, quæ juxtà itineraria milliariis viginti & uno Roma per Appiam distabant nil occurrit memorabile, quum Scriptores, & fragmenta veterum ædificiorum, quæ in tota Appia extant, nequicquam innuant, præter sepulchrum M.Eburii in Appia, & in agro Veliterno paulò antè vigesimum lapidem, de quo Ligorius voce *Eburia*:

D. M. SAC
XVI. KAL. OCTOBRIS
C. VERONATALE ET P
CORNELIO SCIPIONE ASIATIC. COSS
SEX. EBVRIS Q. F. OVF. SVAVIS TRIB
MILIT. LEG. VII. CLAVD. VICTRIC
EBVRIA ANNIA FAVSTA MATER
M. EBVRIO SEX. FIL. SEX. N. TIRONI
QVI VIX. ANN. XXVIII. D. XVI
DVLCISSIMO VIRO PARENTES FECER
SIBI ET SVIS HAERED. IN FRONT
PEDES XII. IN AGR. PED. XVIII

Facilè tamen est in eo situ fuisse villas Cosconiæ, & Octaviæ gentis, alteramque Caii Caligulæ, de qua Plinius lib. 12. cap. 1. hæc habet: *Aliud exemplum Caii Principis in Veliterno rure mirati: unius tabulata, laxisque ramorum trabibus scamna patula, & in ea epulati, cum ipse pars esset umbræ, quin decem convivarum, ac ministerii capace triclinio, quam cœnam appellavit ille nidum.*

Inter vigesimum primum, & vigesimum secundum lapidem tres Tabernæ erant, idest tres cauponæ, uti Cluverius, & alii scribunt,

bunt, quæ dein creverunt in oppidum, & civitas Episcopalis ejus nominis facta. Multi locant tres Tabernas, ubi nunc Cisternæ oppidum, atque hos inter Cluverius, quorum palmaris error patet ex itinerariis antiquis, quæ ad vigesimum primum tres Tabernas statuunt, atque ex relatis hoc Libro Cap. 14., ubi Cisternæ oppidi nomen à cisterna Neronis eo loco extante dictam memoravimus. Holstenius in Cluverium ad pag. 1033. linea 49. postquam retulisset tres Tabernas XXI. m. p. Roma distare, subjicit in Actis MSS. Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli notatum id oppidum ab Urbe XXXVIII. mille passibus dissitum, quod falsum ait, subditque acta illa multa habere fabulosa, & à vero abhorrentia. Illis tamen consentire videtur Cicero, qui proficisci volens ex Antio in Formianum, scribit Attico: *Ab Appii foro hora quarta, dederam aliam paulò antè à tribus Tabernis*, uti patet ex ejus epist. 10. lib. 2., quo fit aut Appii forum, quod ad quadragesimum secundum, & ultrà superiori Cap. 13. locavimus, tanto spatio ab Urbe haud abfuisse, vel tres Tabernas, quas proximas Appii foro Tullius testatur XXXVIII. mille passibus, quemadmodum acta jàm laudata dicunt, ab Roma dissitas.

At ego Holstenium laudo, nàm Cicero sequenti epistola 12. eidem Attico data: *Emerseram*, ait, *commodè ex Antio in Appiam ad tres Tabernas ipsis Cerialibus, cùm in me incurrit Roma veniens Curio meus*; & infrà, *Literas scripsi hora decima Cerialibus, statim ut tuas legeram*. Patuit ergo trium Tabernarum situs dissimilis ab illo, qui conjectari potest ex obscuris verbis alterius epistolæ 10. Ciceronis; quandoquidem divertigium Appiæ Antium tendens, de quo Tullius, non potuit esse ad trigesimum octavum lapidem, ità enim hæc via per paludes, quæ in ea parte erant transissset, immò ejus divertigii vestigia vidit Holstenius ad dictam pag. Cluverii 1033. linea 13. sic scribens: *Ex Antio in Appiam. Hic est ductus ille viæ antiquæ, qui ab Antio ad Appiam viam tendit duobus milliariis antequam veniatur Neptunium: ingreditur autem Appiam duobus fermè mille passibus cis lacum* Castellaccia, *sive* le Castella *dictum, ubi via hæc antiqua Appiam transversam secat, quæ recta Velitras tendit*. Hæc Holstenius, quod & ipse testari possum, unde lectio Ciceronis respondet itinerariis.

Ce-

Ceriales verò, quæ & diverſoria erant, an eſſent in via Antium tendente, an in Appia poſt tres Tabernas incertum eſt: quamvis Tullii verba ſatis innuant eas cauponas, quarum copia in hac via multa erat ex Peregrino ſuperiùs adducto, in Appia ultrà tres Tabernas Roma venientibus fuiſſe; cæterùm antequàm ad tres Tabernas perveniretur, occurrebat villa Othonis Imperatoris, in qua ejus cineres conditi erant ex Suetonio in vita ejus cap. 11. ad finem: *Et circa lucem demùm expergefactus uno ſe trajecit ictu infrà lævam papillam: irrumpentibusque ad primum gemitum, modò celans, modò detegens plagam exanimatus eſt, & celeriter (ità præceperat) apud Veliternam funeratus*, uti Turnebus, & Commentatores, necnon Joannes Cuſpinianus de Cæſaribus ſcribunt, Theulius etiam de Veliternis lib. 1. cap. 10. qui ſubdit eam regionem ad ſuam ætatem collem Othonis vocitatam, eamque villam Appiæ finitimam. Sunt & qui prodant Severum Cæſarem apud tres Tabernas ab Herculio occiſum ex Sexto Aurelio de Cæſaribus, & Paulo Diacono hiſtor. miſcell. lib. 10. quos inſimulat Cluverius lib. 3. pag. 1033. ad finem, ubi ex Zoſimo lib. 2. notat locum ejus nominis, in quo trucidatum ferunt Severum fuiſſe inter Romam, & Ravennam, quem ſanè locum conſtituunt inter Interamnam, Spoletiumque.

A vigeſimo ſecundo ad vigeſimum quartum ſparſa viſuntur diruta prętoria, & monumenta, quæ tamen, ne quorum fuerint ſciremus, temporis edacitas nobis invidit. Ad vigeſimum quartum ſunt, qui ponunt diverſorium *ad Sponſas* dictum, quod Itinerario Hieroſolymitano adverſatur. Illic tamen ſuſpicor fuiſſe templum Soli, & Lunæ dicatum, quum ad noſtram ætatem vulgus Agrum in eo ſpatio, Appiæ adjacentem Solem, & Lunam vocitet teſtimonio Theuli de Veliternis lib. 1. cap. 4. ad finem. Dein incipiebat villa Tiberii Cæſaris, quæ Veliternorum inter, & Coranorum agros Appiæ contermina erat longitudine ferè quinque millia paſſuum. Hujus villæ nemo antiquorum, quod ſciam, meminit, ſolusque Tacitus Annal. lib. 5. c. 67. ad finem narrat Tiberium duodecim villarum nominibus, & molibus inſediſſe; veruntamen ea Regio nunc etiam Tiberia vocitatur, ibidemque fuit caſtrum Tiberii dictum, in cujus ruderibus effoſſa perhibent corpora ſanctorum Martyrum Pontiani Papæ, & Eleutherii

Epiſ-

Episcopi uti memorant Mancinellus sermon. lib. 1., & Theulus de Velitern. lib. 1. cap. 10. pag. 98., & patet ex epistola Alexandri III., quam in Latio Sacro dabimus, ubi narratur castrum Tiberii in custodiam concessum Frangipanæ genti, Ecclesiam verò Sancti Eleutherii in finibus ejusdem castri reservatam fratribus B. Andreæ de Marmulato, quod intelligitur ex cisterna Neronis illìc sita, in qua Neronem latitasse ajunt ex relatis hoc Libro Cap. 14., ubi antiquorum opinionem retulimus, quos hallucinatos credimus, quod ibidem fuisset Tiberii, & Neronis ejus hæredis villa.

Itaque inter vigesimum octavum, & vigesimum nonum circiter locamus cisternam Neronis, ubi nunc est nobile Cisternæ oppidum ad generosam Cajetanam gentem pertinens. Illìc in Appia constructam à fidelibus scimus Basilicam Sancti Petri Apostoli, de qua ità Anastasius Bibliothecarius in vita Sancti Hadriani: *Restauravit & Basilicam Beati Petri Apostoli sitam via Appia in Silice ultra S. Thomam Apostolum non procul à trigesimo, desolatione, ruinisque præventam, à novo unà cum baptisterio restaurans, mole magnitudinis decoravit*; cujus & meminit diploma Paschalis II. pro Veliternis apud Ughellum in Italia Sacra tom. 1. de Velitern. pag. 61.; unde probatur tres Tabernas inter & Cisternam in hac via Ecclesiam S. Thomæ Apostoli, & in loco ubi ædificatam diximus Basilicam S. Petri fuisse vetustum oppidum, quemadmodum innuit laudatus Scriptor, Baptisterium in ea Basilica commemorans.

Ad trigesimum aderat altera Ecclesia B. Andreæ Apostolo sacra, quam Leonem III. restaurasse, nobilique supellectili ornasse prodit idem Bibliothecarius in Leonis vita. Hinc habetur initio nascentis Ecclesiæ Fideles memores stationis habitæ apud forum Appii, & tres Tabernas à Beato Paulo Apostolo, Appiam toto illo spatio templis erectis in omnium Apostolorum honorem locupletasse, quod ex infra referendis clariùs patebit. Hanc ædem positam in loco, qui nunc *Torre Tibalda* dicitur scribit Holstenius adnotat. ad pag. 1033. Cluverii linea 49. ad finem.

In hoc spatio, scilicet inter vigesimum nonum, & trigesimum lapidem, illustres villæ, & sepulchra fuère Romanorum, si Ligorio fides danda est; hic enim voce *Digeria* refert illìc erutas statuam Apol-

Apollinis, aliasque Musarum, & Cereris cum inscriptionibus M. Digerii Prisci Equitis Romani; & verbo *Allia* memoria mandavit eo loci eruta monumenta Alliæ gentis cum istiusmodi epigraphe:

D. M.
C. ALLIO C. F. OVF. LATINO
EQ. ROM. PRAEF. TVRM. LEG. VII. GEMIN
VIX. ANNIS LVIII. M. D. IIII
ALLIA RESTITVTA NEVIANA
ET M. ALLIVS P. F. OVF. CVRIO
PARENTES PONI CVR

Et cum alia sic:

M. ALLIVS M. F. OVF. VARVS
EQ. ROM. OPVS INCHOAVIT
RESTITVIT PRO GRAD. PVB

Voce *Alpusianum* refert ibidem effossum lapidem sepulchralem cum imagine Plutonis Proserpinam rapientis, & cum antro, & tricipiti Cerbero saxo sculptis, & istiusmodi inscriptione:

C. ALPVSIAE
VENERIAE M. ALPVSII FIL. DVLCISSI
PVLCHR. VIX. ANN. XIX. M. III. D. VIII
M. ALPVSIVS M. F. QVIR. IVVENCVS
L. LICINI GALLIENI AVG. CVBICVLAR
A
F

Itidem voce *Hirminia* id refert saxum illic positum:

D. M. SAC
L. HIRMINIVS L. F. QVIR. GALLVS
MILES LEGION. VII. CLAVDIAE
AEDICVLAM HEROIC. GENI
SVPR.

SVPR. MONVM. AEDIFICAVIT
ET ADSIGNAV. SIBI ET SVIS HERED
ITEM HIRMINIAE ANNIAE MATRI
ET L. HERMIN. PRISC. PATRI
MARM. SARCOPHAGVM
POSVIT

A trigeſimo ad trigeſimum quintum multa exſtant diruta monumentorum veſtigia, quorum nuncupationes in incerto vagantur: ædem verò ſacram Divo Matthæo ad trigeſimum ſecundum lapidem poſitam ſuſpicor, quod ibidem locus adhuc ſit, quem *Sancti Matthæi* vulgus appellat. Itaque milliario trigeſimo quinto diverſorium *ad Sponſas* dictum, locamus. Hunc locum nunc vocitant *Torre Mercata* Holſtenii teſtimonio, quamquam is ſatiùs putet propè tres Pontes hanc cauponam conſtitutam: in quo ſanè errat, quum turris, quam *Mercatam* dicunt fere ſeptem mille paſſibus abſit ab Foro Appii, ut in Itinerario Hieroſolymitano notatum eſt. Illìc Ligorius voce *Foro Appii* autumat Appii Forum fuiſſe, deceptus fortaſſe à cognomento *Turris*, quam ni fallor arbitror *Mercatam* dictam, quod eo foro vaſtato apud id diverſorium, reliquiæ accolarum modicum oppidulum condiderint, in quo nundinæ, quemadmodum in Appii Foro, agitarentur. Dein ad trigeſimum nonum tres Pontes cum turri ejus nominis, ubi meta milliaria XXXIX. lapidem deſignabat, uti ſcripſimus ſuperiori Cap. 13. Exſtructum diximus eum pontem à Trajano, quod per eum locum nimphæus amnis, & colluvies aquarum exundantium derivaretur in mare. Turris in medio pontium conſtituta, pontesque tres quadratis ſaxis ædificati longitudinis ſunt palmorum quatuorcentum quadràginta quinque, & latitudinis triginta, facies loci, & turris, uti in ſchemate quod hìc ſubjicio, demonſtrant ibidem cuſtodes poſitos, & viam turri adjacentem coarctatam ad duodecim tantummodò palmos, ut facilè, qui pertranſibant cohiberi poſſent. Paulò cis erat villa Calphurniæ gentis: hæc extendebatur per Appiam uſque ad quadrageſimum, atque in montes Antoniano proximos deſinebat. Id probatur ex monumentis Libertorum ejus gentis villæ finitimis; ego vidi lapidem ſic:

D. M
A. CALPHVRNIO L. F. MEN
ABSCINTILLA MATER
FILIO PIISSIMO M. F

Alterum Sirminetum translatum refert Gruterus in Thesauro p. 334.

D. M
M. CALPHVRNIO M. F. MENEN
VOSENNIO VIX. ANN. XXX. M. II
CALPHVRNIVS
M. F. MEN. HYLARVS MEDICVS
LVDI MAGISTER FRATRI PIISSIMO
F

Hinc lumen Tacito histor. lib. 4. cap. 11. qui memorans auspicia Principatus Vespasiani: *Plurimum*, inquit, *terroris intulit cedes Calphurnii Galeriani: is fuit filius C. Pisonis, nihil ausus: sed nomen insigne, & decora ipsi juventa rumore vulgi celebrabantur, erantque in Civitate adhuc turbida, & novis sermonibus læta, qui Principatus inanis ei famam circumdarent. Jussu Muciani custodia militari cinctus, ne in ipsa urbe conspectior mors foret, ad quadragesimum ab urbe lapidem via Appia, fuso per venas sanguine exstinguitur*, & sic in ipsa Calphurniorum villa, ut ità ejus supplicium, quantum posset, celaretur, & cineres in monumento ejus gentis illìc exstante sine funebri pompa, conderentur, quod anonymus commentator Taciti refert, & mihi arridet, quum Ligorius, & alii Calphurniæ familiæ sepulchrum in Appia statuant, & passim ibidem cernantur Calphurniorum reliquiæ. Proxima erat villa Antoniorum, cujus meminimus superiori Cap. 18.

Ad quadragesimum primum pons antiqui operis, cujus clarissima vestigia apparent propè turrim Petratam Setinorum in fossa Augusti, quam *Cavatam* vulgus appellat. Ibidem divertigium viæ Setinæ, in qua plura Romanarum, & Setinarum familiarum monu-

menta

menta exſtabant: nàm illìc ſepulchra Vivejæ gentis ex Gruteri Theſauro pag. 1130.

VIVEIA C. F. VIVEIO
PATRI

Palpeliæ itidem cum titulo dignitatum ex Ligorio MSS. Otthobonianis voce *Palpelia*:

DIS MANIBVS
SAC
L. PALPELIVS L. F. FAB. PRIVATVS
PRIVIGNVS
VETERANVS LEG. V. MACE
DONICAE TRIBVN. TESSE
RARIVS SEVIVVS FECIT
ET SIBI, ET SVIS LIBERTIS HAER
IN AGR. P. XIV
IN FRONT. P. XX
MACERIAM CIRCVNDAT
P. XC. IN CIRCO

Et Albiæ uti patet ex lapide relato ſupra Cap. 19.

Et Hirpinejæ ex eodem Ligorio voce *Hirpineja*:

L. HIRPINAEIVS M. F. POMPT
SERTORIANVS MENSOR CASTRENSIS
VETERANVS ET EQVES PVBLICVS
MONVMENT. HOC AEDIFICAVIT
ET TITVLVM POSVIT
H. M. D. M. A

Hanc aliam subjicit inscriptionem ibidem effossam Ligorius:

D. M
ET MEMORIAE
HIRPINAEIAE SETINAE
LVPERCAE VIXIT
ANN. XXXIV. MENS. IX
M. HIRPINAEIVS Q. F. POMPT
HONORATVS TRIBVN. COHORT. II
LEGIONIS X. AVGVSTAE MATRI
PIISSIMAE POSVIT ET SIBI
ET SVIS POSTERISQ. FECIT
IN FRONT. PED. XV. IN AGR. PED. XX

Item hanc aliam:

A. EBVRIVS A. F. POMPTINA CLEMENS
PRAEF. FABR. LEG. II. ITALICAE
FLAMEN QVINQVEN. COLON. SETINAE
ET PATRONVS MVNICIPII TERRACIN
EX TESTAMENTO
L. EBVRIVS A. F. POMPT. FEROX
EBVRIA LACTANTIA A. F. ET M. EBVRIVS
A. EBVR. CLEMENTI FRATR
FECERVNT SIBI ET SVIS
IN FRONT. PED. XIV
IN AGR. PEDES XX

Salliæ quoque, cujus saxum cum titulis superiori Cap. 2. retulimus: dein rus Cornelii Cethegi Consulis, & illi contermina taberna Maruti, de qua Ligorius. Hæc in via Setina, verum in Appia erat etiam monumentum Catiæ gentis, cujus meminit ipse Ligorius voce *Catia* hoc saxum adducens:

D. M

D. M
M. CATIO L. F. STELLATIN
PROCLO EQ. ROM. SING. DECVRION. SETIN
Q. VIX. ANN. LXII. M. VIII. D. III
CATIA PROCILLA
ET CATIVS VALENS STELLATIN
SETINVS SIBI ET SVIS HAEREDIBVS FECERVNT

Idem Ligorius voce *Timpſania* hanc recitat inſcriptionem:

D. M. SACRVM
M. TIMPSANIVS Q. F. VESPER
SETINVS EQ. PVBL. ET T. TIM
PSANIVS M. F. T. N. OVF. CARVS
EQ. PVBL. ET TIMPSANIA VARIANA FECERVNT
IN FR. P E D. XIV
IN AGR. P. XVII

Ad quadrageſimum ſecundum Eccleſia Divo Paulo Doctori Gentium dicata à Foro Appienſibus, quod fortaſſe Apoſtolus Romam veniens ibidem manſiſſent, aut Romani fideles ad eum locum illi occurriſſent, uti ex actibus Apoſtolorum intelligitur, & probatur ex antiquo Setinorum diplomate, in quo ſitus ille, *Sancti Pauli* fundus vocitatur.

Inter quadrageſimum tertium, & quadrageſimum quartum lapidem forum Appii erat, & templum Liberi patris, quod ſacratum ajunt à Foroappienſibus Deiparæ, uti patuit ex relatis Cap. 13. & pag. 105. Ab eo ſitu Terracinam uſque miſerandæ ejus viæ ſparſim in aquis cernuntur reliquiæ cum mauſoleis, ſepulchris, ædiculis, villis, pontibus, atque prætoriis dirutis, quibus ab utroque latere quondam magnificentiſſimè fuit exculta.

Porrò nomenclatura locorum hæc eſt. Ad quadrageſimum ſextum locus *Regeta* dictus, dein Campi Barbarici, ubi Vitiges Gothorum Rex electus eſt, uti ſcripſimus ſuperiori Cap. 15. Non procul,

ad quadrageſimum ſeptimum Eccleſia vetuſta ab accolis S. Jacobo dicata, undè nomen inditum foſſæ proximæ, quam Sancti Jacobi vocitant. Inter quadrageſimum nonum, & quinquageſimum Sueſſæ Pometiæ rudera occurrunt, quemadmodum Cap. 9. probatum eſt. Ad quinquageſimum ſeptimum ædes Divæ Feroniæ ſacra, de qua plura infrà, quum de Circæjenſibus verba facturi ſumus, dicenda ſuperſunt. Ab iſtiusmodi æde Terracinam uſque, & ſic ſpatio trium lapidum plura excitata videbantur ab utroque Appiæ latere mauſolea, & prætoria; monumenta nempè Scutiæ gentis cum epigraphe apud Fabrettum Inſcript. cap. 9. num. 388.

L. SCVTIO L. L. PHILIPPO
SCVTIAE L. L. STAGONI
L. SCVTIVS P. F.
FECIT VIVENTIB

Naſerniæ apud eumdem dicto cap. 9. num. 284.

NASERNIA
NASERNIAE
C. F
TERTVLLAE

Et Juliæ, fortaſſe ejus, ex qua ortus eſt T. Julius Paetinus Baſſianus, quem Cap. 19. memoravimus patronum coloniæ Terracinenſis. Hujus familiæ villæ, ſepulchri, & uſtrini propè Terracinam meminit idem Fabrettus cap. 10. num. 570., ubi hanc refert inſcriptionem:

MONVMENTVM ET OSSVAR
ET VSTRINVM
CC. IVLIORVM FAVSTORVM
EORVM QVI SVNT

Criſpinæ

Criſpinæ itidem fœminæ ignotæ gentis, in quo id legebatur elogium apud eundem Fabrettum cap. 10. pag. 799.

Immitis ferro ſecuit mea colla maritus
Dùm propero ſtricti ſolvere vincla pedis,
Dirus & antè thorum, nuper quo nupta coivi
Quo cecidit noſtræ virginitatis honos.
Non culpa merui, præſentia Numina teſtor,
Sed jaceo fati ſorte perempta mei,
Diſcite ab exemplo Criſpinæ, diſcite patres,
Ne nubat fatuo filia veſtra viro.

Fuit ibidem etiam Helvidii Priſci villa, qui Cluvio patre primipilo Terracinæ natus, in Appia rus habuit ex Tacito hiſtor. lib. 4. cap. 5., qui eum Senatorem Romanum, & Prætorem facit, plurimumque laudat, quod opum contemptor, recti tenax, & conſtans adversùs metus eſſet: mihi Terracinam eunti haud procul à turri cum molendino in radicibus montis poſita cis prædium Gavottæ gentis occurrit lapſis annis agricola cum figlina veteri illìc effoſſa cum inſcriptione mutila:

L. . . . . L V I D

Illam ex effracta figlina tranſcripſi, at nequaquam percepi ſignificatum, donec ex lectione Taciti mihi blanditus ſum, eam referri poſſe ad Helvidiam gentem Terracina oriundam, quæ opus doleare in prædio ſuo ibidem ſito habuiſſet, legendo ſic:

L. HE L V I D

Villa quoque Fauſtini, quam fuiſſe in litore inter Ufentis lævam ripam, urbemque, & mare, & ſic in ſitu jàm dicto arguit Cluverius Ital. antiq. lib. 3. pag. 1013. ex his Martialis lib. 10. epigr. 51. verſibus:

Quos Fauſtine, dies, qualem tibi Roma Ravennam
Abſtulit! O Soles! O tunicata quies!
O nemus,

O nemus, ò fontes, ſolidumque madentis arenæ
Litus, & æquoreis ſplendidus Anxur aquis!
Et non unius ſpectator lectulus undæ,
Qui videt hinc puppeis fluminis, indè maris!
Sed nec Marcelli, Pompejanumque, nec illic
Sunt triplices thermæ, nec fora juncta quater:
Nec Capitolini ſummum penetrale tonantis,
Quæque nitent cælo proxima templa ſuo:
Dicere te laſſum quoties ego credo Quirino,
Quæ tua ſunt tibi habe: quæ mea, redde mihi.

Hinc Scholiaſtes innuunt Martialem Fauſtinum accuſaſſe, quod accepto magiſtratu à Domitiano, Ravennatibus præeſſet, neque ſeceſſu ſuo Terracinenſi frueretur, aut Romæ deliciis.

Ad lævam, proximæ monti erant calcariæ fornaces; Terracinenſes ſanè olim calcem urbi præſtabant, quum ſaxa ejus montis calci coquendæ eſſent aptiſſima, quod intelligitur ex Porphyrione in Horatium ſatyra 5. lib. 1. ad illud:

. . . . . *ſubimus*
Impoſitum ſaxis latè candentibus Anxur.

atque ex lege 3. Cod. Theodoſ. de Calcis Coctoribus.

Ad dexteram mare verſus ſylvæ, ex quibus ligna balneis urbis accolas ſuppeditaſſe ſcribit Symmachus lib. 10. epiſt. 60.

Dein occurrebat Terracina, & immenſa moles templi Apollinis in Appia poſiti in loco, ubi nunc aſſurgit Eccleſia Cathedralis S. Cæſario dicata; & demùm collis urbi imminens, ad quem juxtà Eccleſiam Franciſcanorum aſcenditur, per quam vetus Appia ducebat, & in quo multa viſuntur veſtigia antiquitatum teſte Holſtenio in Cluverium ad pag. 1012. linea 22., & ſub ipſo monte villa Ser. Galbæ Imperatoris, de qua hæc habet Suetonius in ejus vita cap. 4. *Ser. Galba Imperator M. Valerio Meſſala, Cn. Lentulo Coſs. natus eſt VIIII. Kal. Januarii in villa colli ſuppoſita propè Terracinam ſiniſtrorſum fundos petentibus*, quam Holſtenius in Cluverium ad pag. 1013. linea 8. putat fuiſſe eo in colle, ubi ingentis villæ reliquiæ apparent, quem Terracinenſes nunc vocitant *il Palazzo de' Paladini*; & portus forma planè rotunda, ac farum in edito finitimi montis vertice, vel

in rupe

in rupe exciſa juxtà ipſum portum, qui à Capitolino, & ab aliis reſtauratus fuiſſe dicitur per Antoninum Pium, quemque Theodoſius Imperator ſua ætate extitiſſe meminit in jàm relata leg. 3. Cod. Theodoſ. de Calcis Coctoribus: quamquam nunc is portus totus arena oppletus ſit, nullumque civitati uſum præſtet.

En itaque itinera Appiæ per vetus Latium, & nuncupationes locorum, quæ in Appiam incidebant. Reliqua Brunduſium uſque poterit aliquis me eruditior, expertiorque Parthenope natus majori felicitate memorare, quem ideò his ſcriptis impello ad tantùm opus aggrediendum.

CAPUT XXI.

De Familiis Setinis.

FUlviam Conſularem, & Triumphalem gentem Setinis familiis accenſuimus ſuperiori Capite 6. quamquam ſint qui eam gentem Tuſculanam, Lanuvinam, vel Tiburtinam faciant. Tuſculanam Ligorius in MSS. Otthobonianis voce *Fulvia*, fortaſſe quod Plinius lib. 7. cap. 43. varia fortunæ exempla deſcribens ſic referat: *Eſt & L. Fulvius inter inſignia exempla Tuſculanorum rebellantium Conſul, eodemque honore, cum tranſiſſet, exornatus confeſtim à populo Romano, qui ſolus eodem anno, quo fuerat hoſtis, Romæ triumphavit ex iis, quorum Conſul fuerat.* Hic locus Plinii mendoſus plures fefellit, nuſquam enim de L. Fulvio id lectum, quamobrem potius de L. Mamilio Plinium locutum memorant, hic enim quum eſſet Tuſculanorum Dictator anno V.C. CCXCV. C. Nautio Rutilo II., & L. Minucio Augurino Coſs. Civitate Romana donatus eſt, & quatuor poſt annos Tribunus Plebis factus ex Livio lib. 3., Pighio Annal. lib. 2. ad annum V.C. CCXCIX. & aliis, quorum lectio Plinio haud reſpondet, nam neque conſtat Tuſculanos eo anno fuiſſe hoſtes Reipublicæ, quin vix quatuor interjectis annis arcem Capitolii ab exulibus, ſerviſque occupatam recuperaſſe, & ob id recens meritum amicos, & fœderatos populi Romani, & Mamilium eorum Dictatorem

Civem

Civem Romanum factum, qui neque legitur illo anno ad Consulatum perveniſſe: immo crediderim eum inter plebejas gentes cooptatum nequaquam Consulatum Romæ tunc aſſequi potuiſſe, quippe ante annum CCCLXXXVII. quo L. Æmilius, & L. Sextius Consules facti ſunt, vetitum erat, plebejos Consulatum gerere teſtimonio Livii lib. 6. ad finem, & Plutarchi in Camillo.

Putant alii loco Fulvii, *Flavii* in Pliniano Codice legendum, nam L. Flavius, quem alii M. ſcribunt, eo anno, quo civis factus eſt & Tribunus Plebis, Tuſculanos perduellionis reos ad populum fecit, ut animadverteretur in eos, quorum ope, & conſilio Veliterni, Privernatesque populo Romano bellum feciſſent. Illum Valerius Maximus lib. 9. cap. 10. *Fulvium* appellat, perperam tamen, quum Livius, & cæteri Romani hiſtorici *Flavium* nuncupent teſte Pighio lib. 5. Annal. ad annum CCCCXXX. Itaque quemadmodum in Valerii Maximi Codicem is error irrepſit ob nominum ſimilitudinem ex ſcribarum negligentia, ſic & in Pliniano eveniſſe crediderim: quamquam neque Flavius ille Conſul Tuſculanorum tunc eſſet, neque triumphum de Tuſculanis egiſſet; quemnam autem indicaverit Plinius in incerto verſatur, & vereor ne integer Plinii locus truncus, & mutilus ſit, & proculdubio mendoſus, quum ex Fulviis primus Conſulatum geſſerit L. Fulvius Curvus anno CCCCXXXI. quo jam omnes Tribus, Polia excepta, Tuſculanos abſolverant, quamobrem is Conſul de Tuſculanis triumphum agere haud poterat, & faſti memorant eum de Samnitibus Quirinalibus triumphaſſe.

Porrò & illi, qui hanc gentem Lanuvinam dicunt, hærent Aurelio Victori de Cæſarib., & Scriptori de vitis Viror. Illuſtr. qui memoriæ mandarunt M. Aurelium Antoninum, quem Lanuvinum faciunt ex Fulvia gente fuiſſe, quam originem vetuſtus cippus apud Fabrettum Inſcript. cap. 10. pag. 746. num. 530. aperire videtur.

M. AVRELIVS FVLVIVS ANTONINVS FILIVS IMP. CAESARIS T. AELII HADRIANI ANTONINI AVGVSTI PII P. P

Suſpicor mendum ineſſe lapidi, & Codicibus jam dictis, ac loco *Ful-*

vius

vius, *Fulvus* esse legendum, nam patet ex Capitolino in Antonini vita, & clarius ex Eutropio lib. 8. eum Imperatorem ex Fulva, aut Bojonia nobili Lanuvina gente ortum.

Qui autem Fulvios Tiburtinos faciunt, sicuti Pighius, incerta prorsus conjectura moventur, quæ & eos Setia oriundos satiùs ostendit, uti patuit Cap. 6. ubi Setinam hanc gentem diximus, quod Cicero prodat auctorem familiæ Herculis ætate ejus Dei sacra tractasse, & quod pateat muris ædis Herculis Setini Fulviæ gentis nomen exsculptum, eamque Coloniam Herculem, aut ejus comites condidisse, uti Setini lapidibus inscriptis testati sunt, quemadmodum relatum est eodem Cap. 6.

Scio plures hariolari, Ciceronem in oratione pro domo sua, ubi meminit Pontificis, fratris Fulviæ uxoris Clodii, non de Fulvio aliquo, sed de L. Pinario Natta loquutum, nàm, ut illi scribunt, mater Fulviæ fuit Sempronia Tuditani filia, quæ L. Pinario Nattæ primum nupta, dein L. Murenæ ex primo viro L. Pinarium genuit, ut intelligitur ex Asconio in argumento Milonianæ, atque ex eodem Tullio in orat. pro Murena num. 67. ubi Murenam Vitricum L. Nattæ appellat, & sic virum Semproniæ Fulviæ matris. Immo in ipsa oratione pro domo sua Cicero loquens de Pontifice illo Fulviæ fratre, hæc subdit: *Viderat ille Murenam vitricum suum Consulem designatum ad me Consulem cum Allobrogibus communis exitii indicia afferri*; ex quibus innuunt, Tullium ibidem verba fecisse de L. Pinario Natta Murenæ secundi viri Semproniæ privigno, uti autumant doctissimi viri Glandorpius scilicet in Onomastico, Norisius de Cenotaphiis Pisan. dissert. 1. cap. 5. Augustinus in Pinaria, & alii.

At (quod pace tantorum virorum dictum velim) argumenta jam relata id non evincunt; quandoquidem omnes produnt Fulviam Clodii uxorem, dein Curionis, & demum Antonii, cujus fatum viris suis exitiale Cicero Philippica 2. & 3. scribit, M. Fulvii, aut Cn. Fulvii, qui cum Q. Metello, & M. Calidio Triumvir cudendæ monetæ in argenteo nummo apud Fulvium Ursinum in Fulvia inscribitur, filiam fuisse; ex quo fit, Semproniam Pinario, & Fulvio, ac Murenæ nuptam. Hinc Ciceronis verba in orat. pro domo sua satis conve-

nire videntur L. Fulvio, quum & ejus Vitricus esset Murena tertius vir Semproniæ: qui sanè Vitricus fuit L. Pinarii Nattæ, & L. Fulvii filiorum ex duobus maritis Semproniæ. Et quamquam Tullius in orat. pro Murena L. Nattam privignum Murenæ nominatim dixerit, attamen eo loco non meminit Pontificis Fulviæ fratris, neque oportuit meminisse L. Fulvii alterius Murenæ privigni, quum non ille, sed L. Natta equitum Centuriis prandium dedisset, quod in petitione Consulatus patratum in gratiam Murenæ ei objectabant.

Ob hanc rem Glandorpius, & Norisius jam relati eum Pontificem L. Fulvium Nattam vocant, quum tamen Nattæ cognomen familiare esset Pinariis, non autem Fulviis, & nemo sit, qui L. Pinarium Nattam privignum Murenæ Fulvium scribat: is enim creditur idem, qui cum Q. Pædio hæres ex quadrante institutus est à Cæsare: quem omnes L. Pinarium Nattam appellant, si Suetonio in Cæsare cap. 83. Appiano, Dioni, & aliis apud Fulvium Ursinum in Pinaria, fides danda est. Manutius in Tullii laudatam orationem pro domo sua quamvis eum Pontificem L. Pinarium Nattam asserat, & fratrem uterinum Fulviæ, attamen id deduci arbitratur tantummodò ex verbis Ciceronis, quibus innuit illius gentem à Sacerdotibus Herculis oriundam: *Pinarium*, inquit, *fuisse*, *quod infra legitur ostendit*; & relatis verbis Ciceronis sic subjicit: *Ab Hercule autem sacra didicisse Pinarios, & Potitios auctor est Livius*. At quum pateat ex jam dictis, Latinos putasse Herculem, aut ejus comites Setinam Coloniam, & ædem sibi illic condidisse, & sacra sua instituisse, palàm est Tullium potuisse huic Latinorum historiæ alludere, & Fulvium fratrem Fulviæ Clodii uxoris ortum ex gente, quæ Setiæ primum Herculi litasset, designare: quod Pighio arrisit, mihique, nam Fulviam gentem Herculi semper devotam fuisse comperimus Setiæ, ubi templum ejus numinis restauravisse constat ex inscriptione: Romæ quoque ad usque tempora Macrinianorum, & Quieti Imperatorum ex Fulvia familia: quos ex majorum ritu quotannis in templo Herculis cœnam sacram populo exhibuisse produnt, uti dictum est Cap. 8.

Hanc rem ob oculos ponit Dion libro 43. pag. 225. editionis Leunclavii, narrans Augustum imperasse, nè Q. Fulvius Setinus in arenam descenderet, dedecus esse edicens Senatorium virum cum gladia-

gladiatoribus dimicare. Sunt qui legant *Pætinum* pro *Setinum*, quasi Pætini cognomen Fulviis esset familiare; verumtamen in antiquis codicibus, & præcipuè in illis Bibliothecæ Cardinalis Pamphilii legitur *Setinus*, Græcè autem Σέτινος. Mendosos hos codices arbitrati sunt ii, qui *Pætinum*, non autem *Setinum* legendum ajunt: quod nusquam de Fulvia id lectum, & insulsè Dion eo loco Q. Fulvii patriam asseruisset. At si vidissent epigraphem in æde Herculis Setini, aliter de hoc judicassent. Putant enim recentiores, Romanis originem familiarum suarum ignotas fuisse: quæ tamen illis notissimæ erant, quum Cato libro de originibus, Varro, & Pomponius Atticus fusè disseruissent undè sacra, & mores Quirites hausissent, & à quibus populis nobiles gentes ortæ essent: qui libri ætate Grammatici Virgilii interpretis, qui eorum sæpè meminit, adhùc exstabant, & dein cum aliis pluribus interiere. Hinc Cicero Philipp. 3. Antonium irridentem Octavium, quod is ex Aricina matre natus esset, ità exagitavit: *Ignobilitatem objicit C. Cæsaris filio: Aricina mater: Trallianam, aut Ephesiam putes dicere? Videte quam despiciamur omnes, qui sumus è municipiis, idest omnes plane: quotus enim quisque non est? Quod autem municipium non contemnit, qui Aricinum tantopere despicit.* Ex his intelligitur tunc aperta fuisse Romæ nomina Coloniarum, ex quibus unaquæque familia genus duceret: quin ipsi proceres jactabant in nummis, & lapidibus inscriptis, & municipia ipsa palàm efferebant origines suarum gentium Consularium, quemadmodum Coruncanii, Antistii, Servilii, Julii, Vitellii, Fabii, Furii, Anicii, Claudii, & his plures exemplo sunt. Hæ quippè gentes Romæ nobilissimæ Sabinas, Tusculanas, Gabinas, Albanas, Vitellienses, aut Prænestinas sese inscripserunt, principes familiæ Roma vetustiores in nummis exsculpentes, aut municipia ipsa, memoria veterem suarum gentium originem repetentia palàm gloriabantur dignitatis suorum civium, eosque Consulatum petentes juvabant uti auctor est Cicero in orat. pro Cluentio, pro Laterano, & in Planciana.

Ex hactenus relatis patuisse arbitror Fulviam gentem Setinam verosimilius esse, quamquam id pro certo affirmare in tanta rerum vetustarum confusione non ausim. De Fulviorum dignitatibus, &

triumphis satis differuit summus vir Antonius Augustinus in Fulvia, quem itaque indicare satis esset, ni multa notatu digna vir eruditissimus præteriisset. Hanc gentem Romam venisse post fœdus ictum inter populum Romanum, & Latinum anno V.C. CCLXI. Spurio Cassio, & Posthumio Cominio iterum Consulibus crediderim; nàm anno CCCLV. tantummodò, quo L. Fulvius Curvus plebejæ gentis Quæstor militaris factus est, ejus familiæ notitia apparet. Hic fuit avus L. Fulvii Consularis, & anno CCCLVIII. Tribunus plebis, Ædilis anno CCCLXI. iterumque Tribunus plebis anno CCCLXIV. uti ex tabulis Pighianis, quibus utor, constat. Ejus filius fertur L. Fulvius Curvus Quæstor militaris anno CCCLXXX. & plebis Tribunus. Ex eo natus est alter L. Fulvius Curvus Quæstor militaris anno CCCCXVII. bis Tribunus plebis, Prætor anno CCCCXXVIII. Consul cum Q. Fabio Maximo Rulliano anno CCCCXXXI. Hic triumphavit de Samnitibus Quirinalibus. Magister Equitum fuit dictus à L. Æmilio mamercino II. Dictatore rei gerundæ causa anno CCCCXXXVII. Hujus fratres duo notantur in Fastis, scilicet C. Fulvius Curvus Tribunus plebis anno CCCLXXXIX. cujus filius C. Fulvius anno CCCCVII. Ædilis plebis cum L. Ælio Pæto ex multatitia pecunia ludos fecit, paterasque aureas ad Cereris posuit Livio lib. 10. teste, & M. Fulvius Quæstor militaris in Apulia, dein ter Tribunus Plebis, Ædilis, & Consul anno CCCCXLVIII. cum L. Posthumio Megello in locum T. Minucii Augurini in prælio occisi suffectus. Hic Bovianum oppugnavit, Soram, Arpinum, & Cosentiam in deditionem accepit, & de Samnitibus egit triumphum. Pætinis is dicitur dedisse cognomen, quum in Fastis ità descriptus sit:

M. FVLVIVS L. F. L. N
CVRVVS PETINVS ANNO CDXLIIX
COS. DE SAMNITIBVS III. NON. OCTOB

Hoc falsum putarim, nàm apparet anno CCCLXXXIV. Cn. Fulvium Pætinum Tribunum plebis, ejusdem filium Cn. pariter Pætinum Quæstorem militarem anno CCCCIX. fuisse patrem M. Fulvii Pætini, qui Consulatum gessit anno CCCCLIV. cum T. Manlio

Tur-

Turquato, & triumphavit de Samnitibus, Nequinatibusque VII. kal. Octobris, quem plures mendosè Pænum, & non Pætinum scribunt; & alterius Cn. Pætini, qui Quæstor militaris, dein anno CCCCXLVI. Tribunus plebis fertur, & Consul anno CDLV. ut infrà dicam. Quamobrem potiùs crediderim M. Fulvium Pætinum L. filium L. nepotem Consulem, qui de Samnitibus triumphavit id cognomen à superioribus Pætinis mutuatum: hariolus tamen non sum, qui possim ejus rei causam divinare.

Fuit & M. Fulvius M. F. L. N. Curvus Ædilis plebis anno CCCCXXIII. & bis Tribunus plebis, cujus filium suspicor Ser. Fulvium Pætinum, qui primum Nobilior dictus est, & scribitur Ser. Pætinus Nobilior M. F. M. N. Hic Quæstor primum militaris anno CCCCXCVIII. Proconsule dein navalem egit triumphum de Pœnis, & Cossurensibus, quamquam Verrius bis de iis populis eum triumphasse memoret. Hujus ex fratre nepos creditur M. Fulvius M. F. Ser. N. Nobilior, qui Prætor ovans ex Hispania reversus est anno DLXII. Consul biennio post cum Cn. Manlio Vulsone, bis Proconsule in secundo Proconsulatu de Ætoleis, Ambracibus, & Cephalonia nobilem egit triumphum, signis, tabulisque pictis devectis. Ludos quoque magnos Jovi votos quum Ambraciam caperet, fecit, primusque ex Ambracienſi oppido novem musarum signa transvexit, ædemque Herculi musarum Custodi, in qua signa dedicaret, in circo Flaminio condidit, cui Cato Censorius laudato ab amico Ennio palàm ut probrum objecit, quod Poetas in Provinciam duxisset ex Cicer. in orat. pro Archia, & in Tuscul. Livio lib. 39. Plinio lib. 35. cap. 10. M. qui ovans, ut diximus, ex Hispania rediit, filius putatur, alter M. Fulvius Nobilior M. F. M. N. qui Consul fuit cum Cn. Cornelio Dolabella anno DXCIV. & Proconsule sequenti anno de Liguribus, & Veleatibus triumphavit. Hujus frater Q. Fulvius anno DCI. Consulatum gessit cum T. Annio Lusco, & Censor fuit cum Q. Fabio Maximo Serviliano, lustrumque fecisse dicitur LVIII.

Ex his, qui Pætini dicti sunt Centumali ortum habuere, nàm M. Fulvii Pætini, quem diximus anno CCCCLIV. de Samnitibus, Nequinatibusque triumphasse, frater fertur Cn. Fulvius Cn. F. Cn. N. Maximus Centumalus dictus, qui Consul cum L. Cornelio Scipione

anno

anno CDLV. de Samnitibus, Etruſceisque triumphavit, quamquam Livius rem aliter narret, & Scipionem tantummodò de Etruſcis, Fulvium verò de Samnitibus triumphum egiſſe commemoret. Hic etiam Prætor, & Legatus M. Valerii Dictatoris adeo fortiter contra eosdem Etruſcos pugnaſſe narratur, ut auctor victoriæ jactaretur, & quum Legatus Proptætore in agro Faliſco ſtationem tenuiſſet juſſu Conſulum cohortes ad Cluſium admovit, agros hoſtium depopulatus, Etruſcorum legiones à Samnitibus, Gallisque divulſit, Peruſinorum, Cluſinorumque tria millia occidit, & ſigna militaria viginti Conſulibus detulit, ob cujus rei cauſam Maximi, & Centumali cognomen adeptus eſt. Fuit & Dictator Clavi figendi cauſa anno CDXC. Hujus filius alter Cn. Centumalus Conſul fuit anno DXXIV. cum L. Poſthumio Albino II. & ſequenti anno Proconſule ex Illyricis navalem egit ex Polybio lib. 2. Appiano in Illyrica, Zonara lib. 2. & Tabulis Capitolinis. Alter Cn. Centumalus Cn. filius Cn. N. Conſul cum P. Sulpicio Galba Maximo anno DXLII. an ſuperioris filius, ſeu frater fuerit obſcurum eſt, eum tamen occiſum quum Proconſule cum Annibale apud Herdoneam dimicaſſet ſunt qui prodant ex Livio initio lib. 27. Plutarcho in Marcellis, & Eutropio lib. 3.

Flaccorum primus creditur Q. Fulvius M. fil. Flaccus Tribunus plebis anno CCCCL. pater Q. Fulvii Q. fil. M. N. qui Ædilis plebis anno CCCCLXXIII. Quæſtor militaris, anno CCCCLXXVII. Tribunus plebis, anno CCCCLXXXII. Senatus Conſulto de puniendis octavæ legionis militibus interceſſit, denunciavitque ne in cives adverſus morem majorum animadverteretur ex Valerio Maximo lib. 2. cap. 7. Dein anno CDLXXXIX. cum Appio Claudio Cadice Conſul triumphavit de Vulſinienſibus, equitumque magiſter fuit Ti. Coruncario Dictatore Comitiorum habendorum cauſa anno DVII. Ejus filius Q. Fulvius quater Conſul, Dictator, Cenſor, & Magiſter equitum fuit, de Liguribus triumphavit, ac Urbem obſidione Annibalis liberavit, Capuaque capta de Campanis Senatoribus invito Appio Pulchro Collega, & Senatus litteris non lectis ſupplicium ſumpſit. Fratres ejus C. Fulvius Legatus anno DXXXVIIII. & Cn. Fulvius Flaccus Prætor anno DXXXVIII. qui Apuliam ſortitus plures urbes Apulorum, quæ ad Annibalem deſciverant, oppugnavit, mox ſuc-

ceſſu

cessu elatus cum eodem Annibale ad Herdoneam temerè congressus, malè pugnavit, fugatus cum equitibus ducentis, castrisque exutus sexdecim hominum millia perdidit, reus dein ad populum ob res malè gestas factus, in exilium abjit, ex Livio lib. 25. & 27. Valerio Maximo lib. 2. cap. 8. Eutropio lib. 3. Orosio lib. 4. cap. 16. Hujus filius Q. Fulvius Flaccus Cn. fil. M. N. Prætor Sardiniam obtinuit anno DLXVIII. dein Consul suffectus in locum C. Calphurnii Pisonis vitrici sui, qui in magistratu mortuus est anno DLXXIII. quamquam Sigonius Schol. in lib. 40. Livii num. 861. ubi Flaccorum typum subnectit, eum anno DLXX. Consulatum gessisse commemoret. Superioris Q. Flacci, qui Capuam cœpit filii fuere Q. Fulvius, M. Fulvius, & L. Manlius Acidinus Fulvianus. Hic Vellejo teste frater germanus Q. Fulvii Consul cum eodem fuit anno DLXXI., & Proprætore ex Hispania citeriore ovans rediit anno DLXVIII. Quintus Consul cum Fulviano fratre, uti jam diximus, triumphum egit eo anno de Liguribus, triumphaverat etiam anno DLXVIII. quum Prætor ex Hispania citeriore rediisset, fuit & Censor anno DLXXIX. quamquam alii prodant ejus Censuram incidisse in annum DLXVII. lustrumque fecit quinquagesimumprimum cum A. Postumio Albino, in qua Censura produnt eum Cn. Fulvium Flaccum adoptatum à M. Fulvio Nobiliore, & ob eam causam M. Fulvium Nobiliorem dictum, fratrem suum Senatu movisse, quod Tribunus militum cohortem suam injussu Consulis domum dimiserit ex Valerio Maximo lib. 2. cap. 2. Frontino lib. 4. Livio lib. 41. ubi mendosè pro Cn. Lucius notatur Vellejo lib. 1. Sigonio Schol. in dicto lib. 40. Livii num. 861. Hunc memorant Romæ, & per Italiæ municipia multa opera publica faciunda locasse, & præ cæteris Calatiæ muros, & Auximi, venditisque publicis locis, pecuniam redactam, tabernis utrique foro circumdandis consumpsit: Pisauri viam silice sternendam curavit, & Jovis ædem fecit, itidem Fundis: porrò & Romæ Fortunæ equestris ædem, quam Prætor in Hispania bello Celtibero voverat, condidit, ad cujus ornatum tegulas marmoreas è templo Junonis Laciniæ advexit, quas Senatus ob id facinus, Junoni restitui decrevit, quare ajunt eum hujuscemodi sacrilegii pœnas luisse, quod duos filios antè conspectum suum occisos conspexerit, & mente captus se strangula-

gulaverit, ex Livio lib. 42. Valerio Maximo lib. 1. cap. 2. & lib. 2. cap. 7. Cicerone Verrin. 3. Frontino ſtratag. lib. 4. cap. 1.

Alter Quinti filius aſſeritur M. Fulvius Flaccus, qui cum Quinto fratre in Hiſpania militavit, uti ex Livio arguit Sigonius in typo Flaccorum jàm relato, ubi hujus M. Fulvii filium, refert M. Fulvium M. fil. Q. N. qui cum M. Plautio Hupſæo Conſul fuit anno DCXXVIII. & Proconſule biennio poſt de Liguribus Vocontieis, Salluvieisque triumphavit. Hic cum M. Flacco Prætore filio, alioque prætextato anno DCXXXII. occiſus eſt cum C. Graccho Tribuno plebis à L. Opimio Coſ. Geſſerunt & Conſulatum Servius Flaccus, qui Conſul fuit cum Q. Calphurnio Piſone anno DCXVIII. egitque triumphum de Vardeis ex Illyrico, & C. Flaccus collega P. Scipionis Africani Æmiliani in ſecundo Conſulatu, quorum tamen parentes ignorantur. Memoratur Livio L. Fulvius Gillo Legatus Scipionis bello Africano, qui Legatos Carthaginenſes Romam adduxit, dein P. Sulpitio Galba, & C. Aurelio Cotta Coſs. Prætor Sardiniam ſortitus. Meminit & Cicero in libro de clar. Orator. M. Fulvii Flacci Oratoris.

Porrò & Imperatorum tempore plures Fulviæ gentis viros emicuiſſe comperimus; quippe ſub Domitiano C. Fulvius Valens annos natus XC. Coſ. fuit cum Antiſtio vetere anno DCCCXLVIII. cujus fortaſſe filius fuit L. Fulvius, cujus meminit vetus marmor apud Fabrettum Inſcript. cap. 10. num. 33. pag. 677.

L. FVLVIO C. F. POPIN
ABVRNIO VALENTI
PONTIFICI PRAEFECT
VRBI FERIARVM LATINAR
FACTO AB
IMP. HADRIANO AVG. II. COS
III. VIRO A. RA. F. F. QVAES T. AVG
TRIBVN. PLEBIS DESIGNATO
CANDIDATO AVG
EQ. PVBL
C. I

Hinc

Hinc intelligitur Lucium filium C. Fulvii Valentis ex tribu Pupinia fuiſſe Pontificem, & Præfectum Urbi feriarum Latinarum, nam Latinis feriis, quibus in Albano monte Jovi Latiali pro ſalute Romani, & Latini populi quotannis ſacra fiebant, conſuevit Respublica, & dein Imperatores nobiliſſimum virum Urbi præficere, cui, abſentibus majoribus Magiſtratibus, religionis cauſa imperium Urbis eſſet: fuiſſe itidem III. Virum à ratione Fiſci frumentarii, Quæſtorem, Tribunum plebis deſignatum, & Equo publico donatum. Sub Othone Imperatore claruit Fulvius Aurelius Legatus Legionum Romanarum apud Sarmatas ab Othone Conſularibus ornamentis donatus ex Tacito lib. 1. hiſtor. cap. 79. ad finem: ſub Severo, & Antonino Fulvius Æmilianus Conſul cum M. Nummio Cejonio Annio Albino anno DCCCCLVIII. Alter ejuſdem nominis ultimo Gordiani anno Conſul cum Peregrino anno DCCCCXCVI. Iterum poſt quinquennium cum Vettio Aquilino ſub Philippis Augg. Tertius Æmilianus Conſul fuit cum Pomponio Baſſo II. ſub Valeriano, & Gallieno Impp. Quartus Fulvius pariter Æmilianus collega M. Claudii Taciti Imp. in ſecundo Conſulatu. Sub Aureliano floruere Fulvius Bojus dux Rhætici limitis, Fulvius Sabinus Prætor urbanus. Sub Gallieno tandem tres Fulvii Imperatores Auguſti appellati ſunt, Macrianus uterque, & Quietus pater cum duobus filiis, qui ab Aureolo duce Domitiani victi & occiſi ſunt teſte Trebellio Pollione, de triginta Tyrannis. Hinc Macrinianorum familia, ex qua ſuperſtites Alexandri Magni imagine in omnibus ornamentis, & poculis utebantur. Quæ ſatis ſint ad Fulviam gentem Setinam illuſtrandam.

CAPUT XXII.

De Annia gente Setina.

Nniam gentem plebejam Lavinatem fuiſſe aliqui ſuſpicantur. Ferunt enim Laviniam, à cujus nomine Lavinium, Annii Sacerdotis filiam fuiſſe: quod ſanè commentum Græcorum fuit, qui fabulati ſunt Æneam Lavinam Annii Deliorum Regis, ſeu Apollinis Sacerdotis filiam apud Delum deſponſaſſe, & ab ea Lavinium denominaſſe, ut produnt Dionyſius lib. 1., & Auctor Origin. Rer. Roman. Alii eam familiam Lanuvinam fecerunt, quod Milo Lanuvinus teſtimonio Ciceronis Philipp. 3., & in Miloniana, Anniæ eſſet gentis ex Vellejo lib. 2., & eodem Cicerone. At hi ſanè delirant, nam palàm eſt, Milonem Papiæ Lanuvinæ gentis à C. Annio adoptatum, nomen ſimul, & hereditatem adoptivi patris accepiſſe, uti patet ex Tullio loco jam dicto, & epiſt. 3. lib. 4. ad Atticum, ubi Manutius Commentator id ſatis perſpicuum ex Appiano, Vellejo, Plutarcho, Dione, & Pædiano aſſerit: quamquam non deſint, qui veteres res perturbantes Lucium Annium Verum propinquum M. Antonini Philoſophi, quem is ad imperii partem novo benevolentiæ genere adſcivit, Lanuvinum dicant ex Aurelio Victore de Vir. Illuſtr., Eutropio lib. 8., Auguſtino in Ælia, & aliis: perperàm tamen, quum pateat eum non ad Anniam vetuſtam Romanam gentem, ſed ad aliam ortam ex Succubitano Hiſpaniæ municipio, Etruria, aut Faventia genus retuliſſe, quemadmodum arriſit Spartiano in Ælio Vero, & Julio Capitolino in L. Vero. Plerique autumant Cn. Flavium Scribam, qui cum L. Anicio Prænestino Civis Romanus factus eſt, Anniæ Conſularis gentis conſanguineum fuiſſe, nam hunc Annii filium, & Anniæ familiæ faciunt ex Cicerone lib. 6. epiſt. 1. ad Atticum, Plinio lib. 33. cap. 1., Aulo Gellio Noct. Atticar. lib. 6. cap. 9., quos proculdubio fefellit inſcitia Scribarum, qui loco *Gnei*, *Annii* ſcripſerunt: quippe Livius lib. 9. Cn. Flavium Cn. filium vocat, uti & in emendatis Codicibus Ciceronis ſcriptum legitur; &

ſic

ſic Plinium, & Gellium emendandos cenſet Manutius in eadem epiſt. 1. Ciceronis ad Atticum lib. 6. ubi ſubiicit Annii nomen nequaquam ad familiam Cnei, qui Flaviæ erat, ſed ad patrem pertinuiſſe.

Porrò viri docti probant hanc gentem genus retuliſſe ad Lucium Annium Setinum, qui anno V. C. CCCCXIII. vel juxta aliorum computationem CCCCXV. T. Manlio Torquato III., & P. Decio Mure Coſs. Prætor Latinorum, & Legatus ad populum Romanum factus, Romanis bellum indixit, & Imperator Latinorum ad Veſerim in Campania cum T. Manlio Conſule pugnavit teſte Livio lib. 8. Ejus rei argumenta plura ſunt; nam ante id bellum nuſquam Anniæ gentis nomen Romæ auditum, & poſt illud intelligitur eam familiam in Civium numerum adſcitam, & dignitatibus auctam, uti infra narrabimus. Itidem reliquiæ ejus gentis Setiæ manent, quandoquidem vetuſtiſſimam viam, quæ à Porta Paſſibella ducit ad fontes L. Pomponium Annianum de ſua pecunia ſtraviſſe probat lapis in Theſauro Gruteri pag. 1078., quem Cap. 1. retulimus: qui ſanè Annianus dictus eſt, quod in Anniam adoptatus eſſet, quemadmodum exemplo ſunt Æliani, Æmiliani, Aniciani, Fulviani, & ſimiles, ita inſcripti, quod in Æliam, Æmiliam, Aniciam, vel Fulviam eſſent adoptati ex Fabretto Inſcript. cap. 4. pag. 318. Sic Cicero lib. 4. epiſt. 3. ad Atticum Annianam Milonis domum vocat, quam C. Annius ejus adoptivus pater ei reliquerat. Cippus quem Setiæ effoſſum teſtatur Ligorius, & ſine loco refert Fabrettus Inſcript. cap. 5. pag. 371. hujusmodi eſt:

L. ANNIO L. L. DIPHILO MAIORI
L. ANNIO L. L. DIPHILO MINORI
L. ANNIVS DIOMEDES LIBERTEIS

unde probatur Anniam gentem Setiæ rus habuiſſe. Movet & me plurimum mos Romanarum gentium. quippe Alba everſa nobiliſſimæ familiæ, quæ manus fortiter cum Quiritibus conſerverant, Romam traductæ ſunt, & ad dignitates evocatæ, uti Gegania, Julia, Clælia, Quintilia, Quintia, Servilia, Acilia, Metilia, Junia, Curiatia, Veturia, & ſimiles Albanæ gentes, quas Tullus Hoſtilius

Romanorum Rex civitate donavit ex Dionyſio lib. 1, 3. & 4. Livio lib. 1. & aliis. Sic L. Mamilium Tuſculanum, Q. Anicium Præneſtinum, & Cn. Coruncanium Camerinum, & ſimiles hoſtes Reipublicæ judicatos, quod bello fortiter pugnaſſent, & factis egregiis familias ſuas illuſtraſſent, Romana Respublica cives ſuos fecit, uti ſuo loco dicemus. Ita arbitror Romanos poſt pugnam ad Veſerim cum Latinis, & rem pro ſuis à L. Annio haud ſegniter geſtam, eam gentem civitate donaſſe, & muneribus.

Prædictis conſentit nummus C. Antiſtii Veteris Conſulis anno V. C. DCCXLIII., & Legati Auguſti bello Cantabrico, in cujus antica parte ſcriptum eſt:

IMP. CAESAR AVGVS. TRIB. POT. VIII

in poſtica:

C. ANTISTIVS VETVS FOEDVS
P. R. CVM GABINIS

ut videre eſt apud Patinum in Suetonio pag. 268., & Harduinum de Numm. antiq. popul. & Urb. pag. 174. ex quibus intelligitur C. Antiſtium genus ſuum retuliſſe ad Antiſtium Petronem Gabinorum facile principem, quem Sextus Tarquinius Gabiis dolo interemit, icto poſtmodum fœdere populi Romani nomine cum Gabinis: quam rem narrant Dionyſius lib. 3. & 4., & Harduinus loco jam dicto. Quare mihi perſuadeo ſatis probatum, omnes fere Romanas gentes Conſulares ex Latii, & Sabinorum municipiis ortas, in Romanam civitatem adſcitas poſt aliquod illuſtre facinus, aut inſignem dignitatem in Coloniis ſuis geſtam, oſtentaſſe etiam in nummis origines ſuas, & præcipue eas, ex quibus conſtare poſſent earum progenitores Roma ipſa vetuſtiores, quemadmodum ex Cicerone Philipp. 3., & aliis ſuperiori Capite relatis notavimus, & patet ex denario C. Sulpicii apud Fulvium Urſinum in Sulpicia: qui ut innueret gentem ſuam Lavinio oriundam, in nummo impreſſit porcam, & Penates Deos, uti Fulvio arriſit: qui tamen ſpreta omnium Taciti exemplarium fide Lanuvium pro Lanivio, & Lanivium pro Lavinio legit: Sulpicium Quirinum, quem Lavinatem putat Fulvius, Lanuvinum fuiſſe

Taci-

Tacitus prodit, & ſaxum ſubtus Lanuvium effoſſum, de quo fuſiùs Capite 20. dictum eſt. Quare patet C. Sulpicium Platorinum eo nummo inſcriptum alluſiſſe potius porca, & Penatibus, Romanis Magiſtratibus, qui Penatibus, & Veſtæ ſacra faciebant Lavinii priuſquam in provinciam proficiſcerentur, ſeu Urbi Romæ à Lavinatibus Albam traductis conditæ, quemadmodum ex relatis Lib. I. Cap. 9. patuit.

Porrò & Setini cognomen, quod pleriſque Fulviæ, & Anniæ gentis fuiſſe memorat Pighius in Idea Romanæ hiſtoriæ poſt lib. 18. Annalium, voce *Setinus*, palàm facit, eas familias Setia oriundas, quum liquidò conſtet plures gentes Romanorum plebejas à Coloniis ortas, & civitate Romana donatas in faſtis deſcriptas cum cognomine à patria ſumpto: Sic Coruncanii & Sulpicii Camerini, Claudii Sabini, Porcii Tuſculani, Scatinii Aricini, & propriè M. Scatinius anno DXCVI. Quæſtor, & dein anno DCI. plebis Tribunus Scatiniæ legis auctor, dicti ſunt: quorum mentio frequens eſt in Pighianis Tabulis, quod Camerii, Tuſculi, Ariciæ, & in Sabinis eorum majores vixerint, & qui primum Romam veniſſent à patria id cognomen adepti eſſent, uti ſuo loco fuſiùs explicabimus; quamquam aliquæ familiæ à populis, de quibus progenitores triumphaverant, vel urbibus, quas ii expugnarant cognomen ſibi adſciviſſe exploratum habeam.

Hiſce poſitis, Anniorum præclara geſta enarrare exordior. Primus hujus gentis Civis Romanus factus creditur Pater T. Annii Luſci, cujus nomen ignoratur. Is fuit Quæſtor M. Pomponii Conſulis in Sardinia anno DXXII., Tribunus plebis anno DXXVII., Prætor cum C. Servilio Nepote anno DXXXIII., & biennio poſt cum eodem Servilio, & C. Lutatio Conſulari Triumvir ad Colonias Placentiam, Cremonamque deducendas; Annibale autem cum exercitu in Italiam per Alpes tranſcendente, per tumultum à Boiis Gallis Mutinæ cum ſociis obſeſſus, moxque paciſcendi titulo extra muros evocatus per fraudem detentus, & captus fuit ex Livio lib. 21. & 30., Polibio lib. 3. Hujus filius T. Annius T. F. Luſcus, quem produnt fuiſſe Quæſtorem anno DLXVIII., Tribunum plebis anno DLXXIII., Ædilem plebis cum C. Memmio Gallo anno DLXXV., Prætorem

anno

anno DLXXVIII., Legatum cum Appio Centhone, & Cn. Cæpione è Senatu in Macedoniam missum ad Persen Regem anno DLXXXI., & dein inter decem Legatos à Senatu constituendæ Macedoniæ ex Livio lib. 42. & 45.

Ejus filius dicitur T. Annius T. F. T. N. Luscus. Hic Orator nobilis fuit, Cicerone in Bruto teste, Quæstor in Italia, & Gallia C. Crassi Cos. anno DLXXXV., Tribunus plebis anno DXC., Ædilis plebis cum L. Stertinio anno DXCIII. frumenti copiam, & annonæ laxitatem procuravit, quemadmodum intelligitur ex Annii hujus argenteis nummis apud Goltzium, in quibus Castores in equis decurrentes expressos, & in Romæ galea spicam pro ala positam videmus: Prætor Hispaniam ulteriorem sortitus provinciam obtinuit Sexto Julio Cæsare, & L. Aurelio Oreste Cos. anno DXCVI., & Consul fuit cum M. Fulvio Nobiliore anno DC.

An hujus filius, an frater esset alter T. Annius T. F. T. N. Luscus Rufus duplici cognomine appellatus, adhuc incertum est, quamquam putem eum filium superioris Consulis fuisse. Hic Quæstor Ostiensis factus anno DCIX. ad summum magistratum ascendit. Quippe Tribunus plebis fuit anno DCXIV. inter adversarios, & dissuasores legum T. Gracchi ex Plutarcho in Gracchis, qui eum non tam eloquentem, quam in rogando, respondendoque promptum, & argutum appellat; & ex Festo voce *Saturæ*, ubi fragmentum orationis hujus Rufi in Gracchum refert. Fuit & is Ædilis plebis cum Cn. Octavio Nepote anno DCXVII., Prætor Urbanus anno DCXX., sequenti Illyricum provinciam obtinuit, & anno DXXV. Consul cum Cn. Octavio Nepote, quem consortem in Tribunatu plebis, Prætura, & Ædilitate habuerat. Ad hunc origines suas retulisse suspicor M. Annium Rufum, qui anno DCCLXIV. M. Ambibugo in Judæa successit, quam provinciam Prætor administravit usque ad Augusti mortem ex Josepho antiq. lib. 2., & Zonara.

Nepos superioris T. Annii Consulis anno DXCVI. fertur C. Annius T. F. T. N. Quæstor anno DCLX., Tribunus plebis anno DCLXV., Ædilis plebis cum D. Junio Bruto C. Albio Carrinate, & L. Cassio Longino anno DCLXVIII., Prætor Urbanus anno DCLXXI., sequenti anno utramque Hispaniam Proconsulari Impe-

rio

rio obtinuit, nam Sulla Dictator cum magno exercitu eum misit contra Sertorium proscriptum, qui ingens bellum in Hispania moliebatur, & Pirenæos montes cum sex armatorum millibus occupaverat. Horum ducem Salinatorem C. Annius per dolum occidi curavit, depulsoque præsidio transgressus in Hispaniam Q. Sertorium viribus imparem cum suis fugere in Mauritaniam coegit, ut auctor est Plutarchus in Sertorio. In denariis argenteis apud Fulvium Ursinum, hic Annius Proconsul vocatur. Alter denarius in parte antica hæc habet: *L. Fabi L. F. Hisp.* in postica: *C. Anni T. F. T. N. Procos. ex S. C.*, alter hæc *C. Tarquit. P. F.*, in alia parte *C. Anni T. F. T. N. Procos. ex S. C.*. Uterque in anteriori parte exhibet Monetæ, vel Astreæ caput diademate cinctum cum bilance, & caduceo, Justitiam rerum reginam esse significans: in altera Victoriam cum palmæ ramo. In utroque nummo Q. litera est, unde intelligitur L. Fabium, & C. Tarquitium fuisse Quæstores C. Annii in utraque Hispania.

Ex prædictis ortus creditur L. Annius Bellienus Quæstor anno DCXXXIV., Tribunus plebis anno DCXXXIX., Ædilis plebis cum L. Aurelio Oreste Cn. Aufidio, & M. Domitio Calvino anno DCXLII., Prætor triennio post Africam sortitus, prorogato in sequentem annum imperio eamdem provinciam obtinuit, & dein ab Utica evocatus Cirtam in Numidiam cum reliquis senatorii ordinis in Africa degentibus ad Mauros Bochi Regis Legatos audiendos ex Sallustio in Jugurta. Ejus fortasse frater fuit C. Annius Bellienus, quem Cicero in Bruto *Bibienum* mendosè appellat. Hunc narrant Jurisprudentia insignem, Quæstorem factum anno DCXXXV., Tribunum plebis anno DCXL., Ædilem plebis anno DCXLIII., Præfectum militasse sub Q. Metello contra Jugurtam in Numidia, reversumque Prætorem factum anno DCXLVII., & prorogato imperio in sequentem annum Achajam provinciam obtinuisse, dein Consulatum petentem repulsam passum C. Mario prælato, quemadmodum ex Ciceronis Bruto colligitur. Ejus filium scimus C. Annium Bellienum C. F. Proquæstore C. Sentii Proprætore in Macedonia anno DCLXVII., & Tribunum Plebis anno DCLXXIII.

Cla-

Claruit etiam P. Annius Asellus Proquæstore P. Gabinii Propretore in Achaja anno DCLXVII., Tribunus plebis anno DCLXXI., & Prætor urbanus anno DCLXXVI.. Hujus meminit Cicero in Verrina 3. & 4., ubi testatur eum mortuum C. Sacerdote Prætore anno DCXXLVIII.. Ad hujus filium pertinere arbitror lapidem apud Gruterum pag. 354., & Fulvium Ursinum in Annia:

T. ANNIVS P. F
F AB. SECVNDVS
TRIB. MIL. PRAEFECT
I. D. CVR. AER
T. F. I

Fulvius ad patrem C. Annii Proconsulis Hispaniæ eam inscriptionem refert, oscitanter tamen, quum ille T. F. T. N. dicatur, uti jam diximus.

Claruit & M. Annius Nepos Tribunus plebis anno DCCI, & sequenti Legatus M. Ciceronis in Cilicia, ut ipse ad Atticum lib. 5. epist. 4., cujus pater ignoratur. Hujus gentis pro certo habeo Bassos, Fabianos, Annullinos, & Eucharios fuisse; nam C. Annius Bassus bis Consul cum Diocletiano, & alter ejus nominis bis Consul sub Constantino, ab hac Annia vetustissima Consulari familia genus ducere jactabat ex Panvinio, & aliis. Sic Annius Fabianus Consul Severi Imperio, & C. Annius Annullinus cum Frontone Consul sub Severo, Cornelius quoque Annius Annullinus Consul, & Præfectus Urbi, qui inter Libertinos suos Diocletianum Imperatorem habuit. Hujus fortasse filius P. Cornelius Annius Annullinus Consul suffectus sub Maximino, & Galerio à Maxentio interfectus dicitur. Alterum Annium Annullinum ferunt per triginta tres vices summa Præfecturæ Urbis dignitate ornatum, præsertim Galerio imperante. Laudatur summopere Flavius Annius Eucharius Consul, & Præfectus Urbi sub Theodosio seniore. Cæterum Veros, & Verissos, seu Verissimos, quo cognomine sæpe Hadrianus Imperator usus est, Galli quoque, & Libones Anniæ gentis Consules, non ad Anniam Setinam gentem, sed ad alteram ejusdem nominis Succubitano munici-

nicipio, Etruria, vel Faventia oriundam pertinuisse arbitror. Fabrettus cap. 6. Inscrip. pag. 459. hunc cippum refert:

. . . . . .
ET Q. ANNIO M. F. PAL
ANNIANO, POSTVMIANO
QVAESTORI. VRB. PRAETORI
PROCOS. PROVINCIAE SICILIAE
PRAEFECTO AERARI MILITAR

Aliqui putant hunc fuisse filium M. Annii Veri, quem sub Tito, & Vespasiano bis Consulatum, & Præfecturam Urbis adeptum, avumque M. Antonini Philosophi, narrant; alii cum filium M. Annii Libonis Consulis fuisse opinantur.

At ego hariolus non sum, qui divinare possim num Q. Annius Setinæ, & Consularis vetustissimæ esset familiæ, aut alterius Succubitanæ, seu Faventinæ. Nam Veri cognomen, seu Libonis omissum haud fuisset in lapide, si Q. à Veris, & Verissis descendisset. Id pro certo habeo, eum Magistratus descriptos in cippo gessisse Imperatorum tempore, nam Præfectos Ærarii Augustus instituit ex Dione lib. 55. Altera epigraphe prostat apud eumdem Fabrettum cap. 5. pag. 413.

ANNIA REGILLA
HERODIS VXOR
LVMEN DOMVS
CVIVS HAEC
PRAEDIA
FVERVNT.

Hanc pertinuisse putarim ad Regillam Herodis Attici uxorem ex Annia Vera vel Verissima gente, cujus statuam, & aliam Anniæ Faustinæ Augustæ Herodes, qui Consul fuit Anno V. DCCCXCVI. locaverat ad pagum Triopeum in via Appia III. ab Urbe lapide, in quo situ prædium habebat, uti diximus superiori Cap. 20. & notat Fabrettus loco jam dicto; unde lumen Ligorio Cap. 20. laudato.

CAPUT XXIII.

De aliis familiis Setinis, & de C. Valerio Flacco poeta Setino.

TItiniam gentem Setinam fuisse aliqui suspicantur, quod C. Titinius Comicus togatarum Scriptor opus in laudem Setinæ Coloniæ exaraverit: cujus fragmenta frequenter referunt Festus de Verb. Signific., & Nonius Marcellus de Propr. Sermon.. Hinc Setiam C. Titinii patriam faciunt, putantes ex Nonio idem opus in honorem patriæ à Titinio conscriptum. At verisimilius est, Titinium Comicum rus Setiæ habuisse, atque ideo hanc Coloniam laudasse, seu potius illi opus dicasse. Cæterum neque liquet Titinium Comicum ex gente ejus nominis Romæ Consulari ortum, quam Sabinam fuisse viri docti probant, & præ alijs Ligorius in libro de Familiis Romanis, & Fabrettus Inscriptionum cap. 10. pag. 709., qui hanc subnectit.

L. TITINIVS L. F. SABINVS
L. TITINIVS L. F. CLAVDIA
MARSVS
TITINIA SABINA ET
TITINIA VAPVSIA
DISTIG. FECERVNT

Pontejam gentem Equestrem Setinam fuisse haud dubito ex lapide effosso in via Latina apud Ligorium voce *Tribu Cluentia*:

D. M
M. PONTEIO M. F. CLVENTIA
CAPITONI EQVITI ROMANO
SETIA
TRIBVNO LEG. VII. GALBIANSVM
VIXIT ANN. LXVII. M. VI
Q. PON-

Q. PONTEIVS M. F. CLVENT
VERVS
PATRI INCOMPARABILI
PIISSIMO H. T. P. I

In militaribus enim elogiis patria in auferendi casu collocatur ut *Bononia*, *Tiburi*, *Fano fortunæ*, *Formis*, *Pisis*, *Arretio*, *Brixia*, *Placentia*, quemadmodum Norisius ad Cenotaph. Pisan. Diss. 1. cap. 3. pag. 39. fusius ostendit. Porrò M. Pontejum Setinum Equitem Romanum ex Tribu Cluentia, Tribunum fuisse septimæ Legionis, quam Galba Imperator auxiliariam in Hispania scripsit ex Panvinio, Rosino & aliis, patet ex eodem lapide, ubi forte loco *Galbianæ* mendose *Galbianſum* legitur. Meturgia itidem gens Setina fuit uti probat cippus apud Ligorium voce *Meturgia*.

D. M
M. METVRGIVS Q. F. PAPIR
ALBINVS
SETIA
MIL. COHO. V. VRBAN
Q. STATIL
AVCTI Q. V. F
SIBI, ET SVIS POSTERIS

Sic & Timpsania, atque Hirpineja, uti patuit ex elogiis in via Setina positis, relatisque superiori Cap. 20. pag. 210.. Catiam quoque gentem Setinam diximus, quod M., & C. Catius Valens ex Stellatina Tribu in lapide Cap. 20. adducto Setinos sese inscripserint. Hanc familiam Romæ prætoriam fuisse ajunt, & Q. Catium nepotem Ædilem plebis cum L. Porcio Licino A. V. C. DXLIII. ex multatitio argento signa ænea ad Cereris dedisse, ludosque plebejos pro temporis ejus copia magnificè apparatos fecisse ex Livio lib. 27., & Pighio. Hinc perperam Q. *Cantius* in quibusdam Livianis exemplaribus legitur. Eumdem memorant C. Neronis castris in Apulia adversus Annibalem præfectum Livio lib. 27. teste, qui lib. 28. hunc

numerat inter Legatos, qui Roma Delphos missi sunt anno DXLVIII. quamquam aliqui Codices mendosè Q. Catulum exhibeant. Fuit & alter Q. Catius Q. F. Q. N., & sic superioris filius, qui anno DXCV. Quæstor fuit.

Valeriam quoque gentem Setinis accensendam putarim, non eam, quæ Romæ fuit Consularis, sed aliam fortasse ex ea oriundam, & tunc quum Romani Setiam Coloniam deduxerunt, eidem adscriptam. Ex ea genus duxit C. Valerius Flaccus Balbus poeta inter eos, qui heroica decantarunt, multorum judicio admirandus, quique de Argonauticis octo volumina scripsit, opusque celeberrimum, sed immaturum Cæsari Domitiano, seu ut alii verius produnt, ejus patri Vespasiano dicavit. Non desunt, qui hunc Patavinum jactent, atque etiam Romanum; perperam tamen. Contigit enim nostro Valerio, quod Homero Græcorum Poetarum principi, & Tirsepo itidem Poetæ illustri. Homerum Colophonii civem dicebant suum, Chii vendicabant, Salaminii repetebant, Smirnaei suum asserebant, quamquam ille Melesigenes diceretur, quod ad Meletem fluvium in vico natus Homeri nomen ob cæcitatem esset sortitus, testimonio Ciceronis in Orat. pro Archia, Auli Gellii Attic. Noct. lib. 3, cap. 11. & aliorum. Tirsepum vero Athenienſem, & Spartanum affirmabant, quod is à Spartanis Ciuitate donatus fuisset, si fides habenda est Gyraldo de Poet. Dialog. 3.

Sic puto accidisse nostro Valerio Flacco, qui quum Setinus esset, in Patavinas tamen, & Romanas familias relatus est. Patavinum Flaccum fuisse desumunt ex Martiale, qui lib. 1. Epigr. 79. ad eumdem ita canit:

O mihi curarum precium non vile mearum,
Flacce, Antenorei spes, & alumne laris:

& alibi:

. . . . *censetur Apona Livio suo tellus*
Stellaque nec Flacco minus . . . . . .

Quare ajunt Martiali credendum, qui quum ætate viveret, qua Flaccus scripsit, eumque juxta Aponum natum Patavinum faciat, ejusque patriam fuisse maximè insignem natalibus T. Livii, & Stellæ asserat, non est cur amplius origo Flacci in dubium vocetur.

Qui

Qui eum Romanum jactant, & quidem ex nobili, & pervetusta familia, incerta potius conjectura nominis, quam auctoritate ductos puto, immo adversari Martialis auctoritati, qui Flaccum pauperem, neque domum Romæ habentem, solumque prædiolum possidentem affirmat. Hoc Scriptorum dissidium recitant Petrus Crinitus de Poet. Latin. lib.4. cap.68., Gyraldus de Poet. Dialog.4., & Vossius de Hist. Latin. lib.1. cap.19.

At Valerium Flaccum non Patavinum neque Romanum, sed Setinum ego quidem fuisse puto; in hanc enim sententiam conveniunt viri docti. Nam Petrus Crinitus loco mox indicato postquam retulit opinionem eorum, qui Flaccum Patavinum faciunt, hæc subdit: *Alii Setinum crediderunt ex Setia Campaniæ Urbe, quæ haud procul Velitris fuit: unde in magno pretio habita sunt Setina vina, ut ab antiquis Scriptoribus relatum est. Et mirum videri debet quanto spiritu Flaccus insurgat, quantaque ingenii felicitate in scribendo carmine prestet.* Crinito omnes fere interpretes Flacci adhærent, & præ cæteris Ægidius Masserius, Rosinus in Elencho Scriptorum post lib.5. Roman.Antiq., Borrichius de Poet. pag.61., Raderus in Martial. lib.1. epigr.77., & recentiores plerique: produnt enim Flacci operum fragmenta usque ad partem lib.4. Poggium Florentinum invenisse in Monasterio S. Galli propè Constantiam una cum parte Q. Asconii Pædiani, teste Vossio de Hist.Latin. lib.3. cap.5. pag.550. In illis Flaccus inscriptus erat sic *C. Valerii Flacci Balbi Setini*, quod etiam ejus operum editiones præferunt; nam & in Bononiensi, Parisiensi Ægidii Masserii, Argentoratensi, & Lugdunensi Flaccus *Setinus* dicitur.

Nicolaus Heinsius nostri poetæ interpres ex vetustissimis exemplaribus, ut ipse ait, recensuit titulum operum Flacci in hunc modum *C. Valerii Flacci Setini Balbi Argonautica*, ubi suspicatur vocem illam *Setini* referri haud posse ad patriam Flacci; quum scribi debuisset *C. Valerii Flacci Balbi Setini*, & non *Setini Balbi*, uti legitur in Codice antiquo MSS. Vaticano; arguitque verba illa *Setini Balbi* potius indicare aliquem antiquum Grammaticum Valerii Commentatorem qui nomen suum initio exemplaris addiderit, quod amanuensium insciția cum nomine *Valerii Flacci* postea coaluerit:

rit: hoeque deduci is arbitratur ex more temporum Veſpaſiani, quibus tot nomina uni viro imponere haud conſueverat ex Sirmondo in Diſſertatione ad Sidonium Appollinarem.

At hæc, pace tanti viri, inania ſunt, etenim falſum eſt Flacco plura fuiſſe nomina, quum *Cajus* fuerit prænomen, *Valerius* nomen gentis, & *Flaccus* cognomen; ſic enim in Valeria familia Romana plures occurrunt illuſtres viri, *Valerii Flacci* nominibus appellati: *Balbus* eſt agnomen, forte inditum à vitio linguæ, quemadmodum plures ejus rei cauſa id agnomen Romæ adepti, exemplo ſunt: *Setinus* patriam Flacci, non autem ejus nomen demonſtrat. Quare liquet Flacco unicum nomen fuiſſe, nempe *Valerius*, ſumptum fortaſſe ex aliquo Valeriæ gentis Romanæ, qui Coloniæ Setinæ nomen dederit. *Balbus* verò fuiſſe agnomen, & *Setinus* patriam deſignaſſe, eaque ætate, & priori Romæ conſueviſſe uni viro nomen, & agnomen imponi, patuit ex ſuperiori Capite, ubi retulimus Servium Fulvium Pætinum nobiliorem, & Cneum Fulvium Centumalum Maximum, quod ex lapidibus inſcriptis probat Fabrettus Inſcript. cap. 1. num. 100. litt. H., & patet ex Faſtis, in quibus Republica florente deſcriptos invenies Appium Claudium Craſſinum Verrionem, T. Quintium Capitolinum Barbatum, Appium Claudium Craſſinum Rufum, L. Volumnium Flammam Violentem, Q. Fabium Maximum Verrucoſum, aliosque. Neque deſunt exempla ſub Veſpaſiani principatu, ut ſunt T. Plautius Silvanus Æmilianus, & his ſimiles in Faſtis occurrentes.

Cavillari itidem videtur Heinſius aſſerens in Vaticano antiquiſſimo Codice eſſe ſcriptum *Setini Balbi*, ac ſi inde arguatur *Setini* eſſe nomen, & *Balbi* agnomen; quandoquidem alii doctiſſimi viri aliter legunt, nempe *Balbi Setini*, quos ſanè conſtat hanc lectionem hauſiſſe ex vetuſtiſſimis Codicibus, atque ex illo propè Conſtantiam reperto, qui primus omnium ætate Poggii Florentini apparuit. Jure ergo Laurentius Pignorius in libro de Originibus Patavinis pag. 113. ex antiquis editionibus noſtri Valerii liquere teſtatur eum Setinum, non autem Patavinum fuiſſe, quamquam ipſe putet alium Flaccum Patavinum Poetam Martialis fortaſſe ætate vixiſſe, cujus nulla extant fragmenta. Atque hæc ſatis ſint ad illuſtrandum

meum

meum natale ſolum, Coloniam inquam Setinam, cui crediderim quod debueram jam me rependiſſe, licet Romæ præ cæteris obſtrictus ſim, ubi educatus, bonisque artibus pro modulo imbutus, reſtitutusque Civitati, majoribus meis olim donatæ.

Finis Libri Secundi.

VETUS LATIUM PROFANUM

PETRI MARCELLINI CORRADINI

LIBER TERTIUS

CAPUT I.

De Circejenſibus, & Circejorum Urbis ſitu.



Uſtrato Setinorum agro, Circejenſem, qui illi finitimus eſt, jam tandem aggredior. Circejorum Urbs revera in extremo Latio à Græcis condita fuit, quemadmodum patuit ex adductis Lib. I. Cap. I. & II. ubi Circejenſes accolas Volſcæ Regionis Latinis priſcis accenſuimus. Poſita fuit in promontorio mari adjacenti inter Aſturam, & Terracinam, decem, & ſeptem mille paſſibus Setia, & quatuor circiter Terracina diſpoſito. Homerus Odyſseæ lib. 10. Circejum in inſula ſitum prodit: en ejus carmina in Latinum converſa.

Celeriter ab Nave adſcendi in ſpeculam
Sicubi opera conſpicerem mortalium, vocemque audirem:
Stabam igitur, ſpeculam in præruptam ubi aſcendi:
Et mihi adparebat fumus e Terra latè patente,
Circes in ædibus per arbores denſas, & ſilvam

Aliquantò poſt, ubi quosdam ex ſociis fingit miſiſſe Ulyſſem ad ſpeculandum, quinam mortales ea loca incolerent:

Vidi enim ſpeculam in præruptam, ubi aſcendi
Inſulam, quam mare infinitum circumdat.
Ea vero humilis jacet. fumum autem in media
Vidi oculis per arbores denſas, & ſilvam:

Dein ſubdit ſocios miſſos ab Ulyſſe inveniſſe Circes domum, ſic:

Inveniebant autem in convalle ædificatas ædes Circes

Politis lapidibus, conſpicuo in loco

Hinc Theophraſtus Hiſtor. plantar. lib. 5. cap. 9. Circejum in Inſula ſitum olim fuiſſe commemorat: *Latinus ager*, inquit, *aquis totus irriguus eſt, & plana quidem laurum producunt, & myrtum, ſciſſamque admirandam: montana verò piceam, atque abietem: Circejum autem excelſum quoddam ajunt eſſe promontorium ſpiſſis nemoribus conſitum: maximè verò robore, myrto ac lauro. Circen id inhabitaſſe incolæ ferunt, ac prius quidem fuiſſe Inſulam, nunc autem à fluminibus quibuſdam adgeſtam eſſe Terram, continentemque factam, Inſulæ verò magnitudo eſt circiter ſtadia LXXX.* Plinius etiam lib. 3. cap. 9. *Circei*, inquit, *quondam Inſula immenſo quidem mari circumdata (ut creditur Homero) at nunc planitie*, & Virgilius lib. 3. Æneidos.

Infernique lacus, Æneaque Inſula Circes.

Hos carpit Cluverius Ital. antiq. lib. 3. pag. 996. putans menſuram Theophraſti, & Inſulam, eſſe Græcorum commenta. At mihi liquet eam menſuram veriſſimam, nam utrumque latus montis quinque millia paſſus complectitur teſtimonio Holſtenii in Cluverium pag. 997. linea 5., illudque fuiſſe aquis circumdatum auctor eſt & Varro apud Servium in lib. 3. Æneidos hæc referens: *Qui nunc Circejus mons à Circe dicitur, aliquando, ut Varro dicit, Inſula fuit nondum ſiccatis paludibus, quæ eum dividebant à continenti.* Mihi hyeme viſitanti ea loca occurrit Inſula, nam integer fere ager circumquaque Circejum paluſtribus aquis obrutum erat, quare mirum non videatur, antequam paludes Pomptinæ ſiccarentur, id promontorium mari, palude, cinctum & lacubus, quos nunc vocant S. Mariæ, & Paulæ, Inſulæ ſpeciem exhibuiſſe.

Strabo lib. 5. hæc habet: *Poſt Antium Circejus mons, inſulæ in ritum, mari, paludibusque cinctus.* Solinus itidem cap. 24. *amœniſſimus*, inquit, *Campaniæ tractus, Phlegræi campi, Circes domus Tarracina inſula, ante circumflua immenſo mari, nunc ævo nectente addita continenti*, & Martianus Cappella lib. 2. *Phlegræi debinc Campi, habitatioque Circeja, Terracina prius Inſula, nunc juncta.* Hæc Geographi laudati, quorum verba ſic ad ſanum ſenſum reduci poſſe arbitror. Apud Solinum: *Phlegræi campi: Terracina: Circes domus,*

inſu-

insula ante, *nunc ævo nectente addita continenti* apud Martianum: *Phlegræi* campi, dehinc *Terracina*, *habitatioque Circeja prius Insula*, *nunc juncta continenti*, ne alias Terracina videatur prius Insula fuisse, quod affirmavit nemo.

Ex hactenus relatis patuit opinionem Procopii lib. 1. bell. Gothic. cap. 11. erroneam esse, ubi hæc habet: *Decennovium inde appellant, quia decursis XIX. milliaribus, quæ stadia conficiunt CXIII. in mare influit ad Urbem Terracinam nunc proximam Circeo, ubi cum Circe egisse Ulyssem ferunt, quos falli judico, si benè Homerus in Insula domicilium Circes collocat: Quamquam fatear Circeum hunc montem sic in mare porrigi, ut Insulæ speciem habeat, nec modo præter navigantibus, sed perambulantibus etiam ea littora esse Insula videatur longissimo tractu: At ubi quis in ipso fuerit, tunc demum se opinione deceptum prius fuisse videt; atque hanc fortè ob causam Homerus Insulæ nomen loco tribuit.*

Porrò tot Geographi, Varro, cæterique Romani Scriptores credere non poterant Homero, Græco licet Poetæ, & sic fabulosa veris addenti, & testari id promontorium quondam Insulam fuisse uno ejus testmionio, qui ea loca nusquam frequentaverat: quin nequaquam decipi poterant opinione navigantium, cum & ipsi viderint situm Circei; quamquam fatear eos, qui hunc montem Insulam immenso mari circumdatam appellarunt, fefelliss Homeri carmina jam adducta. Insulam itaque Circejum fuisse putarim priusquam Pomptina palus culturæ redderetur: at Insulam mari, & paluſtibus aquis circumdatam, quum & nostra ætate hyemalibus aquis irruentibus totum id terræ spatium, quod Circejum pertingit, & peninsulam facit, ita inundatum jaceat, ut vix locus ullus remaneat, per quem sine scaphis, & cymbis Circejum penetrari queat, uti jam diximus: Atque hæc nostra est opinio, quamquam Plinius lib. 2. cap. 85. ex Homero referat id promontorium Insulam, dein peninsulam factum, quod mare recessisset: en ejus verba: *Sed & recessu maris nascuntur terræ: sicut Homero credimus de Circeiis.*

Cæterum ubi Urbs antiqua posita fuerit, non leve dissidium est inter Scriptores. Omnes narrant in hoc monte oppidum Circi dicatum fuisse. Veruntamen illud plerique statuunt in summitate pro-

montorii, quod arriſit Servio ad lib. 7. Æneidos in id carmen:

Proxima Circejæ raduntur litora terræ.

Ego crediderim eam Urbem ſitam fuiſſe in amæno clivo ejus Promontorii, mare & Terracinam reſpiciente, atque ferè in eodem loco, ubi nunc oppidulum S. Felicis eſt, quod ex lectione Dionyſii lib. 4. intelligitur, is enim memorans quo pacto Tarquinius Romanorum Rex eam Urbem cepiſſet, ſic ſcribit: *Erat autem Urbs ſita in terreno tumulo, mediocri altitudine, ubi Circe habitaſſe ferebatur Solis filia.* Quare conſtat Urbem haud ſitam in ſummitate montis, qui mille, & quingentorum paſſuum altitudinem excedit, ſed in terreno tumulo, & mediocri altitudine ejus montis, & ſic in jam laudato clivo, præſertim cum percontanti locum in eo monte, in quo Civitas Latinorum non ignobilis antiquitus poſita erat, nullus alius occurrat præter jam deſignatum, cui adamuſſim verba Dionyſii reſpondeant. Atque hæc ſunt, quæ de ſitu Circeii dicenda ſuperſunt.

CAPUT II.

De Circeii Conditoribus.

CIrcejum conditum tradunt in loco mox deſignato à Circe Solis, & Perſes Nymphæ filia Regis Colchorum ſorore, veneficiorum peritiſſima, quæ ſponſo Sarmatarum Rege veneno ſublato, regnoque per ſcelus parto, quod crudeliter imperaſſet ab accolis pulſa in Italiam profugit, & in hoc promontorio variis herbis uberrimo ſibi ſedem delegit. Hæc opinio Græcis, & Latinis Scriptoribus inſedit; nam præter auctores ſuperiori capite memoratos, Virgilius lib. 7. Æneidos ita canit:

Aſpirant auræ in noctem, nec candida curſum
Luna negat, ſplendit tremulo ſub lumine pontus,
Proxima Circejæ raduntur litora terræ,
Dives inacceſſos ubi Solis filia lucos
Aſſiduo reſonat cantu, tectiſque ſuperbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum:
Hinc exaudiri gemitus, iræque Leonum

Vin-

Vincla recusantum, & sera sub nocte rudentum,
Setigerique sues, atque in præsepibus ursi
Sævire: ac formæ magnorum ululare luporum,
Quos hominum ex facie Dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus, ac terga ferarum

Hunc locum Maronis luculenter exponit Servius, cujus verba quia multa sunt, apud eum legi poterunt. Id ipsum refert Martialis lib. 5. epigr. 1.

Seu placet Æneæ nutrix, seu filia Solis,
Sive salutiferis candidus Anxur aquis;

Statius Silvar. lib. 1. carm. 3.

Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
Jugera, Lucrinæque domus, lituſque cruenti
Antiphatæ, cedant vitreæ juga perfida Circes
Dulichiis ululata lupis: . . . . . .

Ovidius item lib. 14. Metamorphos. pluribus versibus hanc rem narrat, & Poetæ passim. Ex historicis verò Plinius, Solinus, Martianus Cappella, aliique superiori capite adducti idem testantur, necnon Pomponius Mela lib. 2. cap. 4. his verbis: *Sinuessa, Liris, Minturnæ, Formiæ, Fundi, Terracina, Circes domus aliquando, Circeii, Antium, Aphrodysium, Ardea, Laurentum, Ostia*, eadem sententia est Livii, L. Flori, Varronis, & omnium Romanorum Scriptorum, & ex Græcis etiam Diodori Siculi lib. 4. & Apollonii lib. 3. ubi fingit Æetam Solis filium sic adfatum Argonautas.

Didici enim, quondam patris in curru Solis
Profectus; quum meam Sororem ferret
Circen Hesperiam in terram, atque ascenderemus
In litus terræ Tyrseniæ, ubi etiam nunc
Habitat; procul admodùm à Colchide terra:

Ad hæc vetus Scholiastes: *Sequutus*, inquit, *est Apollonius eos, qui Ulyssis errores in Tyrrheno mari factos tradunt, cujus traditionis princeps fuit Hesiodus in dicto mari Circen habitasse dicens: Hesperiam in terram: Apud Italiam habitavit Circe: unde mons dictus Circejus venenorum ferax*: Strabo etiam lib. 5. Dionysius lib. 4. Theophrastus histor. plantar. lib. 5. cap. 9. Aristoteles, & plures alii.

Atta-

Attamen non desunt, qui hoc Græcorum commentis adnumerent ab Homero, atque Hesiodo potissimum confictis, qui in extremo Tyrrheno mari Ulyssis errores contigisse cecinerunt; quod licet ego inficiari non audeam, nihilominus quum deprehendam priscos Latinos ea omnia putasse verissima, quod nempe Græcæ gentes ad Latina litora appulsæ, primum id promontorium incolere cæperint, monti deinde nomen à Circe Dea indiderint, cui ædem sacram condentes, ejus miracula, fabulas scilicet, posterorum memoriæ mandarint, atque Ulyssis, & sociorum transformationes ibidem factas jactarint, primævam originem omnino fabulosam esse neutiquam puto, præcipue quum horum omnium famam eo usque invaluisse tradant, ut nascente Republica Romana usque ad tempora Trajani Circejenses Coloni quum Latini omnes stato die Circi Sacra facerent, & illic Deam habitasse vulgò proderent, si fides danda est Tullio lib. 3. de Natura Deorum, Dionysio lib. 4. aliisque mox relatis, & Lib. I. Latii Profani Cap. IX.

Probant etiam famam antiquissimam, & à priscis Latinis ortam sacra Laurentum, quibus nulla in Latio priora fuisse, nemo inficiatur. Quandoquidem isti Canenti uxori Pici antiquissimi Latii Regis ædem sacram dicarunt, putantes, eam in auram evanuisse, postquam per sex dies, noctesque silvas Laurentinas peragrasset, neque Picum à Circe in avem conversum invenisset. Hujus rei sic meminit Ovidius lib. 14. Metamorphos. postquam narravit, qua ratione Picus Rex à Circe in Picum avem mutatus fuit.

Presserat occiduus Tartessia litora Phœbus,
Et frustra conjux oculis animoque Canentis
Expectatus erat: famuli, populusque per omnes
Discurrunt silvas, atque obvia lumina portant:
Nec satis est Nimphæ flere, & lacerare capillos,
Et dare plangorem, facit hæc tamen omnia; seque
Proripit: ac latos errat vesana per agros:
Sex illam noctes, totidem redeuntia Solis
Lumina, viderunt inopem somnique, cibique
Per juga, per valles, quas sors ducebat euntem.
Ultimus adspexit fessam, luctuque, viaque

Tybris,

Tybris, & in gelida ponentem corpora ripa:
Illic cum lacrymis ipsos modulata dolores,
Verba sono tenui mœrens fundebat: ut olim
Carmina jam moriens canit exequialia Cignus:
Luctibus extremum tenues liquefacta medullas
Tabuit: inque leves paulatim evanuit auras.
Fama tamen signata loco est, quem ritè Canentem
Nomine de Nimphæ veteres dixere coloni.

Hinc lumen Servio in lib.7. Æneidos & Festo lib. 14. quorum verba lib. 1. cap. 21. ad finem retulimus, ille enim prodit Canentem uxorem Pici post consecrationem Pomonam dictam, Pomorumque Deam factam. Festus verò ejus ædem sacram, Pomonal dictam, ponit in agro Solonio, & sic inter Laurentinum, & Lanuvinum agrum mare versus uti ex Cicerone lib. 1. de divin. Kircherus ostendit ad finem partis tertiæ Latii antiqui: quæ quidem facta scimus ex Ovidio, quia in eo loco putabant eam in auram evanuisse. Et quamquam fabulosa sint hæc, uti Servius lib.7. Æneidos scribit ad ea carmina:

Picus equum domitor, quem capta cupidine conjux
Aurea percussum virga, versumque venenis,
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas,

attamen quemadmodum sæpè dixi Lib.I. cultus fuit perquam verus, atque etiam in libris Pontificalibus Sacerdotum expressa ejus cultus causa, uti Servius narrat. Quare mihi compertum est apud Laurentes coaluisse famam consecrationi Pici, & Canentis æquevam, quod Circes in Circejo proximo monte habitans Picum eorum Regem in avem mutasset: quibus si addantur miracula, quæ Deæ Sacerdotes in eo monte Circem patrasse narrabant, Elpenoris remus, & tumulus, poculum, è quo bibisse ajebant Ulyssem, & alia infra referenda, quæ in Circeis ostendebantur Strabonis ætate, dilucidum fiet Latium universum, & dein Romanos putasse, hanc urbem à Circe conditam, ejusque Colonos Deæ alumnos extitisse.

Nec est cur aliquis arbitretur ex Dionysio lib. 4. evinci id oppidum à Tarquinio Superbo à fundamentis edificatum, quod is prodat Tarquinium Circejos Coloniam deduxisse ductum loci opportunitate, quod is situs agro Pomptino latissimo ab una parte, & mari

infero

infero immineret ab altera, præfeciſſe etiam Urbi condendæ Aruntem filium; quamquam enim Voſſius de Idololatr. lib. 1. cap. 40. hinc aſſerat tunc Circejum everſum jacuiſſe, & Cluverius lib. 3. Ital. Antiq. pag. 1001. ad finem autumet id oppidum primum à Tarquinio conditum; attamen palam eſt, tunc Circejorum urbem Latinis paruiſſe ex Dionyſio cujus hæc verba: *Erat autem urbs ſita in terreno tumulo mediocri altitudine, ubi Circe habitaſſe ferebatur Solis filia*, licet perperam Fridericus Sylburgius ita legat: *Circejos verò data opera, quod in Pometino campo totius Latii maximo, locus is opportunè ad mare ſitus eſſet: eſt autem terrenus tumulus mediocri altitudine infero mari imminens: ubi Circe habitaſſe fertur Solis filia, & utrique condendæ duobus è filiorum ſuorum numero præfectis, Circeiis Arunte, Signiæ Tito*. Quare educitur urbem jam conſtructam, & vetuſtiſſimam à Tarquinio auctam, & inſtar Coloniæ intra Pomœrium redactam opera Aruntis filii, quem Rex urbi condendæ, videlicet in formam Coloniæ Romanæ, præfecerat. Hoc mihi magis arridet, quum conveniat Latinorum hiſtoriæ, & famæ priſcæ, quod Circejum antiquiſſima eſſet Albanorum Regum Colonia à Græcis condita, qui montem & oppidum à Circe dixerunt.

CAPUT III.

De Colonia Circejenſi, ejusque cladibus.

SUperiori capite dictum eſt Tarquinium Superbum A. V. C. CCXXVII. Circejos Coloniam deduxiſſe ex Dionyſio lib. 4., & Livio lib. 1. ad finem, qui de Superbo: *Signiam*, inquit, *Circejoſque Colonos miſit præſidia urbi futura terra, marique*. Hujus Coloniæ meminere Paterculus, & ex recentioribus Panvinius, Pighius, qui produnt Circejos decimam fuiſſe Coloniam à Regibus Romanis deductam: quamquam Circejos à Latino Silvio Albanorum Rege primum Colonos adſcriptos palam ſit teſtimonio Auctoris orig. Gent. Roman., & aliorum, quos Lib. I. Cap. II. adduximus, ubi ſcripſimus Circejenſes inter Latinos numeratos, & ſic inter eos Latii populos, qui priusquam Roma conderetur

jam

jam fuerant, & Albanorum Regum imperio parebant.

Anno CCLXIV. C. Julio Julo, & M. Pinario Rufo Mamercino Coſs. juxta calculos Pighii (quamquam Cluverius lib. 3. Ital. antiq. pag. 1001. id factum referat A. CCLXVI. Sp. Nautio Rutilo, & Sex. Furio Medullino Coſs.) Marcius Coriolanus dux factus ab Antiatibus, Volſcisque, Coloniam hanc vi cepit. Hanc rem ſic ob oculos ponit Livius lib. 2. loquens de Coriolano: *Circejos profectus, colonos inde Romanos expulit, liberamque eam Urbem Volſcis tradidit.* & Dionyſius lib. 8. *Marcius non amplius cunctatus Circejum petiit, oppidum promiſcuè habitatum à Romanis Colonis, & Civibus indigenis, eoque obiter potitus eſt. Nam oppidani ubi cognoverunt hoſtem occupato agro jam ad mœnia ſua contendere, apertis portis ſine armis progreſſi obviam, deditionem fecerunt, quo factum eſt, ut nihil hoſtile paſſi ſint, neminem enim ex oppidanis Imperator vel occidit, vel in exilium egit: veſtes tantum in uſum militum, & cibaria in menſem unum imperavit, & aliquantulum pecuniæ.* Eadem habet Plutarchus etiam in Coriolano. Sed cur Dionyſius eam Urbem inhabitaſſe referat indigenas Cives cum Romanis mixtos, operæ pretium eſt examinare. Ego ſuſpicor id dictum ab Hiſtorico, ut intelligeretur non modo Romanos Colonos oppidum incoluiſſe, ſed & reliquias Græcanicæ gentis, quæ primum cultum Circis in montem illum advexerat, cujus rei exemplo ſunt Alba, & pleræque Latii vetuſtiſſimæ Urbes, quas idem Dionyſius lib. 2. narrat inhabitaſſe Latinos, & Græcos.

Anno CCLXVI. Coriolano in foro Antiati lapidibus obruto, victis à T. Sicinio Volſcis, Circejum iterum in Romanorum poteſtatem rediit, dein anno CCCLXIX. ab A. Cornelio Coſſo Dictatore fuſis Volſcis plures Circejenſes Coloni inter captivos reperti ſunt. Hinc Senatus Romanus credidit eos Volſco bello nomina dediſſe, quare Circejenſes Legatos miſerunt, qui eos purgarent Volſci crimine belli, captivoſque repeterent, ut ſuis legibus in eos animadverterent. His Senatus Romanus triſtia reſponſa reddidit, quod Cives Romani patriæ oppugnandæ nefanda conſilia injiſſent, decrevitque Legatos Urbe expellendos, captivoſque plectendos ex Livio lib. 6. Plutarcho in Camillo, & Diodoro Siculo lib. 13. Itaque anno CCCLXXI. Circ-

cejenſes cum Veliternis palam defecerunt, donec anno CCCLXXVII. P. Valerio Potito, & L. Æmilio Mamercino Tribunis militum, Coſs. poteſtate victi, itidemque anno CCCLXXXVI. à M. Furio Camillo V. Dictatore oppugnati ſunt teſte Livio lib. 6. & Plutarcho in Camillo.

At Coloni ſemper occultè Romanum moliebantur bellum, Romanisque petentibus à Latina gente milites ab agro Samnitum amoveri, principes juventutis miſerunt, qui Latinas Urbes ſollicitarent ad defectionem. Quamobrem indicto anno CCCCXV. in Ferentinæ luco concilio, Latini duos crearunt Prætores pacis, bellique arbitros, ſcilicet L. Annium Setinum, & L. Numitium Circejenſem, Livio lib. 8. teſte. Hi victi, & occiſi ſunt à Torquato Conſule ad Veſerim, ſive ut alii ſcribunt ad Tifanum inter Sinveſſam, & Minturnas, quemadmodum fuſius patuit ex relatis Lib. I. Cap. VIII. ad finem. Porrò memoriæ proditum eſt ob eam defectionem Circejenſes, pluresque Latinos populos agris multatos ex Livio lib. 8. Dein ſecundo bello Punico Colonia Circeii milites & pecuniam dare Conſulibus Romanis detrectavit, ob eam rem excitis Romam principibus Coloniæ, iis imperatum eſt duplicatum numerum peditum dare, & equites centenos vicenos: indictum quoque quotannis ſtipendium trium millium æris, juſſumque Magiſtratum Romæ retineri, donec Coloni imperata feciſſent; quemadmodum ex Livio ſcripſimus Lib. II. Cap. II. Ita ſanè Circejenſes milites, & pecuniam ſuppeditarunt Romanis ex formula jam dicta ad Carthaginis excidium, ut Livius teſtatur.

Bello civili Circejum factionis Marianæ fuiſſe commemorant, & ſic à Sullanis militibus everſum, ejuſque agros occupatos, ſicuti dictum eſt eodem loco ex Appiano, Plutarcho, aliisque. Dein eo bello ceſſante priſtinæ dignitati reſtitutum, quippe Ciceronis ætate hanc Coloniam floruiſſe compertum eſt teſtimonio ejuſdem Ciceronis lib. 3. de Nat. Deor., quin & Octavii Auguſti imperio, nam Suetonius in Octavio cap. 16. refert eum Principem poſt Pompeii fugam, collegarum alterum M. Lepidum ſpoliatum exercitu, ſupplicemque vitam poſtulantem, Circejos in perpetuum relegaſſe: quare conſtat tunc Circejorum Coloniam tutiſſimum fuiſſe Romanorum propugnaculum.

Sunt Codices Suetonii, qui loco *Circejos* exhibent *Cercios*, at melio-

meliores, & plures exponunt *Cercejos*, & *Circejos*. Octavius quippe veteranis militibus suæ factionis Circejensem agrum assignaverat, Colonosque miserat, qui mari, terraque ea loca proxima Urbi tutarentur, Pomptinosque agros, quos ad culturam revocaverat, colerent uti scripsimus Cap. XVI. Lib. II.

Tiberii etiam ætate hanc Coloniam floruisse scimus ex eodem Suetonio in Tiberio cap. 72. qui narrat Tiberium Castrenses ludos Circeiis dedisse, de quibus infra; unde probatur milites illic in statione mansisse. Cæterum hanc urbem cum Setia Romanam Coloniam fuisse ostendi Lib. II. Cap. II. quod apertissimè patet ex loco Livii lib. 6. nunc solum mihi animadverso, is enim referens responsum datum à Senatu Romano Legatis Circejensium, qui captivos repetebant, hæc habet: *Per eosdem dies Latinis, & Hernicis, simul Colonis Circejensibus, & à Velitris purgantibus se Volsci crimine belli, captivosque repetentibus, ut suis legibus in eos animadverterent, tristia responsa reddita, tristiora Colonis, quod Cives Romani patriæ oppugnandæ nefanda consilia injissent.* Hæc verba Livii innuunt tristia responsa data à Senatu Latinis, Hernicisque, qui Volsco bello consenserant, tristiora Colonis Circejensibus, & Velitèrnis, quod ii essent Cives Romani, quum patriam prodidissent. Porrò Livius Cives Romanos Circejenses, & Veliternos non asseruisset, si ii Coloniis Latinis nomina dedissent, quemadmodum testantur Vellejus lib. 1. Aulus Gellius, & alii lib. 2. cap. 2. relati. Quare ex hoc loco Livii puto satis compertum esse, Panvinio viro eruditissimo erratum, qui Circejum Latinam Coloniam facit.

CAPUT IV.

De æde Circi ſacra in Circejenſi Colonia, necnon ara Minervæ, poculo, & ara Ulyſſis, & roſtris ejusdem navium, quæ in eo templo ſervabantur.

IAm diximus Græcos, qui Latium incoluerunt huic promontorio nomen à Circe feciſſe. Anſam arripiendi hanc fabulam præbuiſſe putarim ſitum : quandoquidem ſcribunt Circen ad medicamenta omnis generis converſam, mirabiles variarum herbarum naturas, ac vires adinveniſſe, ac maritum veneno ſuſtuliſſe ex Diodoro lib. 4. & aliis. Itaque cum mons Circejus radicibus abundaret, & venenorum eſſet perquam ferax teſtimonio Theophraſti Hiſt. plant. lib. 9. cap. 15. ubi ait : *Tractus venenorum feraces potiſſimum eſſe ajunt extra Græciam quidem Tyrrheniam, & Latium, in quo Circen quoque fuiſſe ferunt.* Concinit Ariſtoteles in mirandis : *In Italiæ*, inquit, *monte Circejo fertur venenum lethale gigni tanta vi, ut ſi cui adſpergatur, confeſtim concidere hominem faciat, piloſque toto corpore difluere : cunctaque corporis membra ita diſſolvat, uti pereuntium corporis ſuperficies miſerabilis planè ſit adſpectu* : Strabo item lib. 5. *Ajunt Circejum montem radicibus abundare, fortaſſe ut fabulæ id de Circe accommodent.* Hinc in eo monte oppidulum condentes, templum Circi dicarunt, & montem à Dea, & æde ei ſacra dixerunt.

Ejus templi meminit Cicero de Nat. Deor. lib. 3. ubi prodit Colonos Circejenſes Circen coluiſſe, Romanos verò nequaquam : itidem Plinius lib. 35. cap. 2. Strabo lib. 5. Vetus Scholiaſtes Juvenalis ad illud Satyr. 4.

. . . . . *Circeis nata forent an*
Lucrinum ad ſaxum, in ſupinove edita fundo
Oſtrea, callebat primo deprendere morſu

ubi præ ceteris Mancinellus notat id Templum inſtar Caſtri ſaxis quadratis conſtructum: Ligorius quoque, & Voſſius de Idololatr. lib. 1. cap.

cap.40.. Sunt qui memorant tantæ Religionis eam ædem Circejenſibus, Latinisque fuiſſe, ut ſtato die quotannis in eam magiſtratus, populique convenirent, ſacraque Circi, & ferias facerent uti ex Euſtathio in Dionyſ. lib. 1. & 2. innuit Tomaſinus de Donar. cap. 2., & retulimus Lib. I. Lat. Profani Cap. IX.

Miniſtraſſe Deæ in hocce Templo Sacerdotes fæminas memoriæ proditum eſt. Hæ præerant veneficiis, omniumque magicorum rituum incantamentis, & radicibus, herbisque venenatos ſerpentium morſus curabant: tractabant etiam impunè ſerpentes, quorum copiam in cavea ſub templo ſervabant. Hujus rei mentionem facit Æſchylus vetuſtiſſimus Poeta, qui alludens Circejenſibus, ſic canit:

Gens Tyrrhena clara veneficiis

Eadem habet Strabo lib. 5., & ceteri lib. 3. ſuperius relati, quibus conſentit Claudianus lib. 1. in Rufinum

. . . . . *nec me latuere fluentes*
Arboribus ſucci, funeſtarumque poteſtas
Herbarum, quicquid lethali germine pollens
Caucaſus, aut Scythiæ vernant in gramina rupes,
Quas legit Medea ferox, & callida Circe

& Statius Silvar. lib. 1. carm. 3. hiſce verſibus:

Cedant Thelegoni, cedant Laurentia Turni
Jugera, Lucrinæque domus, litusque cruenti
Antiphatæ: cedant vitreæ juga perfida Circes,
Dulichiis ululata lupis . . . . . .

quibus Poeta ambitiosè dixit perfidum id promontorium, in quo venenorum, & veneficiorum ars regnabat. Unde fama percrebuit apud Græcanicam gentem Latinos priſcos veneficiorum peritiſſimos, quemadmodum Ariſtoteles, & Dionyſius narrant.

Quæ fierent in hac æde, & quæ illic eſſent, facile haud eſt aſſerere, quum neque ejus ædis reliquiæ appareant, neque ullus, quod ſciam, ſcriptor ejus rei meminerit. Sed quantum ex conjecturis licet arguere, atque ex more Græcorum, qui Latium incoluerunt, & ſua numina illùc transvexerunt, veroſimile propemodum eſt huic templo omnia figmenta errorum Ulyſſis, & Circes fabulas fuiſſe accommodatas. Id innuit Strabo lib. 5. referens Circeiis poſitam Aram Minervæ

nervæ ſacram, & poculum ſervatum, e quo bibiſſe jactabant Ulyſſem, quum ejus ſocii mutarentur in beſtias. Subjicit dein Sacerdotes id poculum Auguſti etiam ætate oſtendiſſe, quod & narrant Euſtathius ad Dionyſ. lib. 1. & 2. Tomaſin. de Donar. cap. 2. Pighius in Hercule prodicio pag. 304., & plures alii. Neque deſunt, qui prodant in hoc promontorio roſtra navium tamquam errorum Ulyſſis monumenta religioſa fuiſſe, ſi Ligorio fides danda eſt, & Spanhemio de Præſt., & uſu numiſmat. diſs. 1. pag. 6. qui fortaſſe id excerpſerunt ex carminibus Homeri ſequenti capite referendis.

Hæc, poculum ſcilicet, & roſtra navium Ulyſſis, & aram Minervæ, poſita procul dubio puto in æde Circi ſacra, ubi & Ulyſſi aram dicatam fuiſſe non dubito. Quippe jam Ulyſſem Circejenſes coluiſſe patuit ex poculo, & roſtris navium ejuſdem, quæ religiosè cuſtodiebant, atque ara Minervæ ab iis condita: quæ facta fuiſſe ut Græcorum moribus Circejenſes obſequerentur, intelligitur ex ſequentibus. In Arcadia erat Boreus mons, in cujus ſummo vertice veteris Templi veſtigia ſpectabantur: Templum ædificaſſe Ulyſſem Minervæ Soſpitæ, in quo & Ulyſſis cellam extitiſſe tradebant, ut auctor eſt Pauſanias Arcad. ſeu lib. 8. pag. 527.. Quippe Ulyſſis peculiare numen proditur Minerva, quod is Jovis pronepotem ſe jactans, Minervam Jovis filiam, & ſic conſanguineam ſuam divinis percoleret honoribus teſte Lactantio de Falſ. Relig. lib. 1. cap. 23.. Sic apud Elaeos Græciæ populos erat antrum in Templo Junonis, ubi intra ſpeluncam Circen, & Ulyſſes in lecto decumbentes expreſſi erant cum ancillarum præ foribus numero ad opificia intentarum: quatuor enim ex iis erant intentæ operibus, quæ verſibus deſcribit Homerus: Adſtabat & Centaurus, pedes cui poſteriores equini, priores humani. Equorum præterea bigæ inſculptæ erant, & in illis inſiſtentes fæminæ ex Pauſania Eliac. prior. ſeu lib. 5. pag. 324. Apud Eurytanas Ætoliæ populos Ulyſſi ædes ſacra dicata narratur, & oraculum, de quo Bulenger. de orac. cap. 102. Corinthi in Templo Apollinis pictum erat Ulyſſis in Procos facinus, ut narrat Pauſan. Corinthiac. ſeu lib. 2. pag. 89.. Sic in vico Arcadiæ, quem Ladas appellabant, ſepulcrum Penelopes Ulyſſis uxoris erat, cui quotannis, uti Semideæ parentabant ex eodem Pauſania Arcad. ſeu lib. 8.

Porrò

Porrò & Circejenſes putabant in eo promontorio Ulyſſem tumulatum, quemadmodum narrat Hyginus fabul. cap. 127. *Telegonus*, inquit, *Ulyſſis, & Circes filius miſſus à matre, ut genitorem quæreret, tempeſtate in Ithacam eſt delatus: ibique fame coactus agros depopulari cæpit, cum quo Ulyſſes, & Telemachus ignari arma contulerunt. Ulyſſes à Telegono filio eſt interfectus: quod ei reſponſum fuerat, ut à filio caveret mortem, quem poſtquam cognovit, qui eſſet, juſſu Minervæ cum Telemacho, & Penelope in patriam redierunt in Inſulam Ææam, & ad Circen Ulyſſem mortuum deportarunt, ibique ſepulturæ tradiderunt*, & quamquam Lycophron Græcus Poeta hæc de Ulyſſe prodat:

Filius autem patris erit interfector:
Quem Perga Tyrſenorum mons mortuum
In Gortynia combuſtum, excipiet

quare Tzetzes Poetæ Scholiaſtes refert Ulyſſis cadaver combuſtum in Gortynia, & cineres tumulatos in monte Tyrſeniæ, cui nomen Perga; Circejenſes nihilominus jactabant prope eorum Urbem ſepultum Ulyſſem. Ex dictis ergo patuiſſe arbitror cellam Ulyſſi ſacram in iſtiusmodi Templo fuiſſe, in qua quotannis Ulyſſi & ſacra, & parentalia fierent. In qua verò parte promontorii eſſet ædes Circis, nequaquam apparet, quamvis Cluverius lib. 3. Ital. antiq. in vertice montis id delubrum ſtatuat, quem merito carpit Holſtenius in adnot. ad pag. 1002. linea 3. Ferunt veſtibulo hujus ædis Cedrum arborem numini devotam hæſiſſe, quod Circejenſes crederent hanc arborem primum in eo promontorio plantatam ſubminiſtraſſe Circi ligna, quæ ureret, ex Plinio lib. 13. cap. 16., & Interpretibus Virgilii lib. 7. Æneidos ad ea carmina:

Proxima Circejæ raduntur litora terræ
Dives inacceſſos ubi Solis filia lucos
Aſſiduo reſonat cantu, tectisque ſuperbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum.

quod tamen pro certo non affirmo. Atque hæc ſatis ſint ad rem vetuſtiſſimam delibandam.

CAPUT

CAPUT V.

De tumulo Elpenoris, ejus remo, & prima myrto in Italiam delata, & circumcirca Elpenoris tumulum Circeiis ſata.

Rat & Circeiis Elpenoris Ulyſſis ſocii tumulus, cujus in hunc modum meminit Theophraſtus lib.5.hiſtor.cap.19. *Circejum ajunt excelſum quoddam eſſe promontorium ſpiſſis nemoribus conſitum, maximè verò robore, lauro, ac myrto. Incolas autem Circen habitaſſe perhibere, oſtendique Elpenoris tumulum, ex quo proveniant myrti, coronarii operis in modum creſcentes, locumque eum ferunt hominis habere figuram.* Hunc tumulum poſitum ſub ipſo oppido S. Felicis, quod nunc in eo promontorio viſitur Cluverius lib.3.Ital.antiq.pag.1001. autumat; perperam tamen, quum Homeri carmina loco non conſentiant, ille enim ſub initium lib.12. Odyſſeæ ſic de Ulyſſe, & Elpenore:

Tunc ego ſocios præmiſi ad domum Circes,
Elatum mortuum Elpenorem defunctum
Arboribusque ſtatim cæſis, qua ſummum prominebat litus
Sepellivimus eum triſtes, copioſas lacrumas fundentes:
Cæterum poſtquam cadaver combuſtum eſt, & arma defuncti,
Buſto adgeſto, & deſuper cippo erecto,
Fiximus in ſummo ſepulcro fabrefactum remum,

Et lib.11. ubi Elpenorem introducit, Ulyſſem adloquentem:

Monumentumque mihi erige ſpumoſi in litore maris.

Hæc Homeri carmina innuunt ſepulcrum Elpenoris ſitum in extremo promontorio, qua mari imminet, & non in ſummo Circeii monte, aut ſub promontorio uti Cluverio arriſit, & opinatur Holſtenius in adnot. ad eumdem in pag.1001. lin.30.. Mihi in ipſo loco de hiſce percontanti, accolæ S. Felicis oſtenderunt veſtigia ædificii antiqui quadrati: quod tumulum Elpenoris affirmarunt: quæ ſanè res fefellit Cluverium, nam eam fuiſſe domum villæ Lepidi exiſtimant, teſte

teſte Holſtenio loco jàm relato. Itaque ſitus tumuli incertus eſt, quamquam palam ſit Circeiis id ſepulcrum fuiſſe, Latinamque gentem putaſſe Elpenorem ebrium per ſcalam domus Circes cervices fractum cecidiſſe, atque ob id mortuum ab Ulyſſe eo loci ſepultum una cum armis: quam rem narrat Hyginus fabul. cap. 25., & Ovidius lib. 3. eleg. 4.

At miſer Elpenor, tecto delapſus ab alto
Occurrit regi flebilis umbra ſuo.

quibus Poeta alludit fabulæ umbræ Elpenoris, quæ in Averno lacu Ulyſſi ad inferos deſcendenti occurrit: & iterum in Ibin:

Neve gradus adeas Elpenore cautius altos:
Vimque feras vini, quo tulit ille modo.

Hunc tumulum ab Ulyſſe Elpenori poſt parentalia ei facta erectum fuiſſe notant ſuperius adducti ſcriptores, quibus conſentit Volaterranus Philolog. lib. 33. pag. 397. Hyginus cap. 25. addit remum ejuſdem Elpenoris tumulo affixum ab Ulyſſe, quemadmodum ille rogaverat quum apud inferos Ulyſſi comparuiſſet: en Hygini verba: *Deinde ad Superos reverſus* (Ulyſſes ſcilicet) *Elpenorem ſepelivit: & gubernaculum ita, ut rogaverat, in tumulo ei fixit*, quod & Homerus cecinerat. Circumquaque ſepulcrum myrtos ſatas, quæ coronarii operis in modum creſcentes hominis exhibebant figuram habetur ex Theophraſto, cui lumen ex Plinio hiſtor. nat. lib. 15. cap 29. ſive 36. hæc ſubdente: *Arbor myrtus ipſa in Europæ citeriore cælo, quod à Cerauniis montibus incipit, primùm Circeiis in Elpenoris tumulo viſa traditur, Græcumque ei nomen remanet, quo peregrinam eſſe apparet*. Hinc conſtat hanc myrtum ſatam ab Ulyſſe, aut ejus ſociis in hoc tumulo è Græciæ Cerauniis montibus advectam, primam fuiſſe, quæ in Latio, & Italia appareret. Quare ſunt qui memoriæ mandarint ex ejus arboris ramis plantatis Romæ ante ædes Quirini, natas myrtos duas, quæ ſacræ habitæ ſunt à Romanis: quarum alteram plebejam dicebant, alteram Patriciam, unde Quirites augurabantur proſpera, & adverſa, nam ſi exuberans prævalebat patricia, læta auſpicabantur; ſi plebeja florebat, & patricia in ſterilitatem emarceſcebat, triſtia, ut Plinius ibidem affirmat. Hæc tamen myrtus, quæ in Elpenoris ſepulcro ſpectabatur, ſacra Circejenſibus fuit; quan-

doquidem neque eo loci Elpenorem tumulatum, aut Ulyſſem ad id promontorium acceſſiſſe ſatis probatur: fabulamque totam è Græcia advectam, huic promontorio fuiſſe applicitam à Græcis priſcis Latii accolis, qui Circejum primum inhabitarunt, ſuperioribus Capitibus diximus. Atque ideo veroſimile eſt Circejenſes Græcorum illorum ſucceſſores, quibus traditum fuerat Ulyſſem illic Elpenorem ſepeliviſſe, & myrtum ibidem plantaſſe, & quidem primam, quæ in Latio, & Italia eſſet, eam arborem ſatam circumquaque tumulum ſacram habuiſſe: Is enim mos perhibetur Græcorum, & Gentilium, ut arbores ab Heroibus, quos colebant plantatæ, & propriè apud tumulum Herois, ſacræ eſſent: ſic in Linternino religioſæ erant olivæ Scipionis Africani prioris manu ſatæ, & myrtus conſpicuæ magnitudinis, ſub qua manes ejus cuſtodiviſſe Draconem putabant ex Plinio lib. 16. cap. 44.

Thebis viſebatur Menoecei Creontis filii, qui ſeipſum cultro occiderat, monimentum, ad cujus tumulum malus punica enata, poma producebat, quæ rupto exteriore cortice ſanguinem oſtendebant. Hanc arborem ſacram habebant Thebani, eam ſatam ab ipſo Menoeceo putantes, & propè ejus monimentum poſitam ſi Pauſaniæ Bœoticis ſive lib. 9. pag. 578. fides danda eſt. Apud delubrum Veneris ſpeculatricis erat Phædræ ſepulcrum, & Hippolyti, eo loci, ubi Phædra deſcendentem exercitationis cauſa Hippolytum in ſtadium intuebatur. Myrtus ibidem perterebratis foliis, & ſacra, quod amore furens Phædra cum nullam malo levationem nanciſci potuiſſet, crinali acu hujus myrti folia transfigens, inſaniam ſuam oblectaſſe, jactaretur ex eodem Pauſania Corinthiac. ſeu lib. 2. pag. 146.: Ita Pſophidiis ſpectabatur Alcmæonis Amphiarai filii tumulus, circa quem creverant cupreſſi, quas non cædebant tamquam manu Alcmæonis ſatas, & ſacras, ſi eidem Pauſaniæ Arcadic. ſeu lib. 8. pag. 492. fides habenda eſt.

Atque ob eam rem Theophraſtus memorat eas myrtos circumquaque Elpenoris monimentum, hominis habuiſſe figuram, ut quid extra naturæ ordinem innueret, & Latinis mirabile, tum recordatione Ulyſſis eorum Herois, qui tumulum fecerat, & arborem plantaverat, quum ob remum Elpenoris illic fixum, & parentalia, quæ eo

loci

loci Ulyſſem Elpenori feciſſe ferebant, ac modùm quo creverat arbor, inſtar ſcilicet figuræ hominis. Ex his apparet hunc tumulum, myrtum, & remum religioſos fuiſſe Circejenſibus. Quin ex tanta tumuli pompa putarim, Circejenſes quotannis Elpenori parentaſſe tamquam Heroi, & fortaſſe in cella Ulyſſis, quam in æde Circes fuiſſe diximus, Elpenorem pictum: ad id me movet quod totus cultus Circes, Ulyſſis, & Minervæ in hoc promontorio à Græcis inventus ſit, & huic loco applicatus cum integra fabula Homeri, ut poſteri crederent illic Circen habitaſſe, Ulyſſem, & Elpenorem, aliosque ſocios illùc acceſſiſſe, & ibidem eveniſſe ea quæ Homerus, & Heſiodus fabulati ſunt. Ferunt autem in templo Apollinis Delphici totam fabulam Elpenoris, de qua Homerus in Iliade, expreſſam: illic enim pictus erat Elpenor nautarum more ſtorea velatus cum Helicaone filio, hoſpitio accipiens Menelaum, & Ulyſſem, picta etiam domus Elpenoris ſuſpenſa pardi pelle ſupra veſtibulum, quæ teſſera fuerat Græcis, & indicabat Antenoris domum violari non potuiſſe; expreſſa quoque Antenoris filia Crino infantem puerum geſtans teſtimonio Pauſaniæ Phocic. ſeu lib. 10. pag. 661. Hinc Circeiis, vel in æde Circes, aut prope tumulum Elpenoris, ejus facta depicta eſſe potuerunt.

Porrò & Græci omnes apud ſepulcrum Heroum, iisdem quotannis parentare conſueverunt. Quippe apud Athenienſes Ægei herois erat ſepulcrum, ad cujus veſtibuli lævam cella multis ornata picturis, inter quas Ulyſſes ex Ilii arce Palladium ſurripiens ex Pauſania in Attic. ſeu lib. 1. pag. 39. Sic in Myſiæ urbe Pionia apud Pionin Herois tumulum parentalia faciebant ex eodem Pauſania Bœotic. ſeu lib. 9. pag. 568. In Regione Thronis monimentum Xantippi, cui quotidianos dabant honores, hoſtiisque mactatis ſanguinem per cavernulam in ſepulcrum infundebant teſte eodem Pauſania Phocic. ſeu lib. 10. Elei etiam in tumulo Pelopis Herois quolibet menſe ſacra faciebant priſco parentum ritu, thura, & melle ſubactum triticum adolentes, aramque oleagina fronde tegebant, ac vino libabant, iisque ſacris præerant ædituus, augures, fæciales, interpres, tibicen, & lignator ut auctor eſt idem Pauſan. Eliac. prior. ſeu lib. 5. pag. 316. & 317. Apud Patrenſes in Achaja Eutrypyli tumulus religioſus, & apud illum parentalia anniverſaria facta ex eodem Achaic. ſeu lib. 7.

pag. 433. & 437.. Spartæ etiam non procul à Theatro, Pausaniæ monimentum, & ei proximum Leonidæ, ad quæ quotannis in illorum laudem orationes habebantur, ludique fiebant, in quibus solis Lacedæmoniis dabatur certandi locus ex eodem Pausania Laconic. seu lib. 3. pag. 185. Delphis erat Neoptolemi Achillis filii sepulcrum, apud quod anniversaria sacra fieri solemne fuit teste eodem Phocic. seu lib. 10. pag. 656. Cætera omitto, cum eruditi satis norint Græcos omnes Heroibus suis parentasse. Suspicor itaque Circejenses id ipsum feciisse quotannis Elpenori, apud cujus tumulum Ulyssem illi parentasse Homerus, & ceteri narrant.

CAPUT VI.

De templo, fonte, lacu, & luco Feroniæ in Circejensi agro.

SUperiori Cap. XIII. Lib. II. ubi de Foro Appii egimus, relatum est Feroniæ ædem sitam in Appia ad dexteram Roma Terracinam venientibus, & in loco Fossæ Augusti finitimo. Erat is locus Terracina diffitus tribus mille passibus, uti Horatius satyr. 5. lib. 1., & vetus ejus Scholiastes scripsere: Horatii carmina loco jam dicto, & cap. 14. legi possunt. Id templum positum in agro Circejensi putant Sabellicus in adnot. ad lib. 11. Livii, Fabrettus inscript. cap. 6., & alii, quorum opinio mihi arridet, quamquam sint, qui illud statuant in Terracinensi ex versibus jam dictis Horatii, qui referens iter per fossam Augusti à Foro Appio ad istiusmodi Feroniæ ædem, numerat ab eo Foro ad id delubrum quindecim mille passus, atque à templo Terracinam usque ter mille. Ergo hæc ædes erat sita propè Ufentem, Circejos versus, nam Augustus fossam duxit propè Appiam per agrum Circejensem, & dein Setinum, & Foro Appiensem, uti ex relatis superiori Cap. XIV. patuit. Quum autem Terracinensis ager illa ætate, & priori ultra Ufentem non protenderetur, quod Ufens terminus esset Latinorum, & Oscorum, ac Tribus Pometinæ, & Ufentinæ, quemadmodum diximus Lib. I. Cap. I., hinc intelligitur Feroniæ templum positum in agro Circejensium,

ſium, qui Latini fuere; & occurriſſe à Circeis tendentibus ad Ufentem, & Appiam, uti jam relati Scriptores memorant, quibus conſentit & Kircherus in ſuo Latio lib. 1. cap. 7. pag. 25.

Prædictis alludit Dionyſius lib. 2. qui prodit hanc ædem conditam à Laconibus in Pometino agro, quo primum ii mare egreſſi, appulſi erant: en verba Dionyſii narrantis quo pacto Spartani quidam Lycurgi legum ſeveritatem parum æquo animo ferentes, urbem deſeruerint: *Deinde*, inquit, *enavigato longo maris tractu, qualiscunque Terræ deſiderio, votum Diis feciſſe quocumque Terrarum primùm appellerent, id poſt hàc fore ſibi domicilium: cumque delati eſſent ad Pomentinos Italiæ Campos, agrum, quo primum appulerant, vocaſſe Feroniam, memores, quod eos hùc, illùc per mare ferri contigerat: Templum quoque conſtruxiſſe Divæ Feroniæ, cui vota fecerant: quam nunc una litera mutata Faroniam nominant: horum quoſdam ex eo loco profectos ſedes cum Sabinis conjunxiſſe, ideoque multa apud eos eſſe inſtituta Laconica præcipuè quantum ad belli ſtudia, frugalitatem, vitæque omnibus in rebus duritiem attinet.* Hæc Dionyſius, qui rem vetuſtiſſimam ſatis dilucidam facit; unde habemus fani antiquitatem, gentes, quæ illud condiderunt, & ſitum; nam ſi ætate illa locus fani fuit in Pometino agro, planum eſt templum conſtructum in Circejenſi. Ager enim Pometinus à Pometia vetuſtiſſima Latinorum urbe dictus eſt, cujus poſitum inter Circejum, & Ufentem fuiſſe jam ſcripſimus Libro II. Cap. IX.. Itaque devaſtata Pometia, & dein Sueſſa Pometia, quam Pometini incoluerunt, is ager Circejenſibus, & Setinis adjudicatus dicitur ex relatis Cap. IX. Et quamquam Romanorum ætate tractus is paludi Pomptinæ finitimus, totus Pometinus dictus aſſeratur, attamen denominationem hanc à Pometina urbe derivaſſe, & ad agrum Pometiæ antiquitùs coarctatam, omnes affirmant.

Regionem, ubi fuit hæc ædes, Romani Faroniam dixere ex Dionyſio, noſtri nunc dicunt *Ferona* Kirchero teſte, veriùs *Farona* detrita una litera; putant etiam templum fuiſſe eo loci, quem nunc *Caput Silicis*, ſeu *Lavardino*, aut *Levardino*, appellant, qui locus eſt propè Appiam, habet finitimum lacum, & cryptas, ac priſcarum ædium reliquias aquis obrutas. Illuc etiam Amaſenus fluvius in Ufentem præ-

præcipitat. At milliariorum numerus non respondet itinerario Horatii, situs enim is multum diffitus est Terracina. Extat alter, quo Appia per pontem nunc dirutum supra Ufentem transibat, & ad turrim proximam agro Gavottæ gentis, dein ad montem Terracinæ, protendebatur, qui situs adamussim consentit Horatii carminibus, quamquam & is incertè loquatur.

Erat illic Deæ sacer fons, cujus Servius infra referendus, & Horatius satyr. 5. lib. 1. meminere: sic Horatius:

Ora manusque tua lavimus, Feronia, lympha:
Millia tùm pransi tria repimus, atque subimus
Impositum saxis latè candentibus Anxur.

Ad hæc Porphyrio notat Terracinam tunc sitam in monte, cujus rudera apparent, & illìc constructum templum Jovis Anxuris, seu Axuris, uti legit Fulvius Ursinus in Vibiam secundam. Ædem verò Feroniæ, in cujus fonte manus se laviſſe Horatius memorat, Terracina diffitam tribus mille passibus. Fuit & Deæ sacer lacus, cujus mentionem facit Vibius Sequester de Lacubus: *Lacus*, inquit, *Feroniæ Terracinæ*, qui eum lacum in Terracinensi statuit, quod tunc Circejum dirutum esset, ejusque ager à Terracinensibus, & Setinis occupatus: cujus etiam agri partes populi jam dicti nostra ætate possident. Lucus quoque circumquaque fanum Feroniæ numini sacer perhibetur ex Virgilio lib. 7. Æneid.

. . . . . *Queis Jupiter Anxurus arvis*
Præsidet, & viridi gaudens Feronia luco.

Ubi Servius hæc subdit: *Circa hunc tractum Campaniæ colebatur puer Jupiter, qui Anxuris dicebatur, & Juno virgo, quæ Feronia dicebatur. Non vacat, quod addidit viridi: nam cum aliquando hujus fontis lucus furtuito arsisset incendio, & vellent incolæ exindè transferre simulacra, subitò reviruit.* Cluverius lib. 3. pag. 1013. putat hic Servium fabulari. At ego crediderim Latinos id Deæ miraculo factum evulgasse, & Servium ex Latinorum historia illud hausisse: ex quibus conjectare licet quantæ religionis fuerit hæc ædes, fons, lacus, & lucus à Spartanis Feroniæ dicati.

Ligorius in MSS. Otthobonianis voce *Lachi*, & altera *Laco di Feronia*, & *Feronia* scribit hunc lucum Deæ sacrum factum, ut arbores ful-

fulmine non tangerentur, quod in priſco cippo expreſſum ſe vidiſſe teſtatur: ſubdit præterea Augures in hac æde fuiſſe, qui reſponſa petentibus darent, ac fratres Arvales in iſtiusmodi luco ſacra quotannis feciſſe, lacumque Deæ dicatum, Lymphidium dictum, quorum omnium fides ſit apud auctorem. Illud mihi conſtat inter hanc ædem, & Terracinam turres plures conſtructas ex Plinio lib.2. cap.55. ſic: *In Italia inter Tarracinam, & ædem Feroniæ Turres belli temporibus deſiere fieri: nulla earum non fulmine diruta*: ex quibus fortaſſe Ligorius excepit fulminibus arbores luci Feroniæ tangi ſolitas. Harum turrium meminit Anonymus Ravennas Geograph. lib. 4. pag. 210. *Cajeta, Formiæ, Fundi, Tarracina, Turres, Cercellis, Turres albas, Cloſtris, Aſturas, Antium, Lavinium, Oſtia Tiberina*, & iterum lib. 5. pag. 254. *Cajeta, Formis, Fundi, Tarracina, Turres, Cercellos, Turres albas, Cloſtris, Aſtura, Antium, Lavinium, Laurento, Oſtia Tyberina*. Situs in quo Anonymus locat turres, nempe inter Terracinam, & Circejos, reſpondet adamuſſim loco, ubi ædes erat Feroniæ inter utramque Urbem poſita, unde lumen Plinio, qui turres eo loci conſtructas prodit.

Cluverius dicto lib.3.pag.1014. deſiderat in præfatis verbis Plinii tempus belli quo turres fortaſſe Feroniæ dicatæ, deſierint fieri. Ego puto id contigiſſe bello Punico, quo Hannibal irrito belli eventu Roma redux, fani gaza ablata illud ſpoliaſſe narratur uti ex Livio Kircherus loco jam dicto affirmat.

Neque hallucinatus videtur Kircherus quod Livius lib. 26. id factum referat in æde Feroniæ in Sabinis: *His*, inquit, *motus* (Annibal) *ad Turiam fluvium Caſtra retulit ſex millia paſſuum ab urbe, inde ad lucum Feroniæ pergit ire, templum ea tempeſtate inclytum divitiis. Capenates aliqui accolæ ejus erant, primitias frugum eò, donaque alia pro copia portantes, multo auro, argentoque id exornatum habebant. His omnibus donis tùm ſpoliatum templum, æris acervi, cum rudera milites religione inducti jacerent poſt profectionem Annibalis, magni inventi*: dein hæc ſubjicit: *Hujus populatio templi haud dubia inter Scriptores eſt. Cœlius Romam euntem ab Ereto divertiſſe eò Annibalem tradit: iterque ejus ab Reate, Cutiliisque, & ab Amiterno orditur, ex Campania in Samnium, inde in Peli-*

Pelignos perveniſſe. Neque ibi error eſt, quod tanti exercitus veſtigia intra tam brevis ævi memoriam, potuerint confundi: iſſe enim eò conſtat, tantum id intereſt: venerit ne eo itinere ad urbem, an ab urbe in Campaniam redierit. Hactenus Livius, qui quamquam ædis Feroniæ depopulationem aſſerat, attamen an ædi Sabinorum, an alteri Latinorum, de qua verba facimus id periculum contigiſſet, incertum affirmat. Quippe ſi plures erant, qui ſcripſerant Annibalem Roma reducem in Campaniam rediiſſe, & certum eam depopulationem Templi factam in iſtiuſmodi receſſu, procul dubio juxta hanc ſententiam ædes Feroniæ Circejenſis, poſita in Campania, & in via, per quam Annibal tranſiverat, & non altera in Sabinis, quorum fines ille in reditu non attigerat, ab eo ſpoliari debuit. Atque huic fortaſſe opinioni maluit adhærere Plinius, qui ejus belli tempore Turres inter hanc noſtram ædem, & Terracinam fieri deſiiſſe memoriæ mandavit, quamquam Livius a Plinio diſſentiat. Servius ad lib. 8. Æneid. in ea carmina:

Qualis eram, quum primam aciem Præneſte ſub ipſa
Stravi, ſcutorumque incendi victor acervos:
Et Regem hàc Nerilum dextra ſub Tartara miſi;
Naſcenti cui tres animas Feronia mater,
(Horrendum dictu) dederat:

Feronia mater, ait, *Nympha Campaniæ, quam etiam ſupra diximus. Hæc etiam Libertorum Dea eſt: in cujus templo raſo capite pileum accipiebant: in hujus templo Terracinæ ſedile lapideum fuit, in quo hic verſus inciſus erat: Benemeriti ſervi ſedeant, ſurgant liberi: quam Marcus Varro libertatis Deam dicit Feroniam, quaſi Fidoniam*, quod ex Servio carpſit Scaliger comment. ad Feſtum de verb. ſignific. voce *Oſcines*. Quare habemus in hac æde libertatem datam ſervis, qui ſedentes in lapideo ſedili illic poſito, præmiſſis ceremoniis aliquibus ex Sacerdotum auctoritate, ſurgebant liberi accepto pileo, quibus alludit Plautus Amphitryone act. 1. ſcen. 1. in fin.

. . . . . *Quod ille faciat Jupiter*
Ut ego hodie raſo capite calvus capiam pileum.

Ob eam rem, libertini, & libertinæ plurimum hanc Deam colebant, & donaria in ea æde ſuſpendebant. Et quamquam Grammaticus id

Tem-

templum Terracinæ ſtatuat, palam tamen eſt eum loquutum de hac æde, quam Terracinæ poſuit, quod ſua ætate Circejo everſo, ager ubi delubrum erat ad Terracinenſes ſpectaret, uti ſuperius ſcripſimus. Porro ſuſpicor ſervos in eo templo libertati donatos, fronde coronatos inceſſiſſe, & ædem circumiviſſe, quod hæc eſſet ſolemnitas, qua Lacedæmonii, qui id templum condiderant, ſervos mancipio eximerent, teſte Alexandro Gen. lib.4. cap.10., qui addit in hac æde non ſolum ſervos, ſed & addictos ex compedibus, & ergaſtulo, libertorum munia accepiſſe. Templum illud Feroniæ ab Hannibale ſpoliatum, ut mox dicebamus, in Capenatibus ſtatuit Silius Italicus in libro 13. ubi hæc habet:

. . . . . *itur in agros*
Dives ubi ante omnes colitur Feronia luco,
Et ſacer humectat fluvialia rura Capenas:
Fama eſt, intactas longævi ab origine Fauni
Creviſſe in medium, congeſtis undique donis
Immenſum per tempus opes, luſtrisque relictum
Innumeris, aurum ſolo ſervante pavore
Hæc avidas mentes, & barbara corda rapina
Polluit, atque armis contempta pectora Divum.

Sunt qui memorent id fanum commune fuiſſe Latinis, Sabinisque; quemadmodum enim templum Feroniæ in Sabinis, quod Lacedæmonii, qui primum ad Circejenſe litus appulſi fuerant, conſtruxerant, commune fuit Sabinis, & Latinis, è quorum Regione in Sabinos Deæ cultus, & Sacrorum ritus invectus fuerat, uti diximus Lib.I. Cap. IX., ita facilè eſt iſtiuſmodi ædem, quæ erat aliarum mater, & caput, Sabinis fuiſſe communem, quod Tiraquello ad Alexandrum lib.4. cap.10. Gen. arriſit, mihique etiam: quamquam id pro certo non habeam, & ſciam Tiraquellum templum Feroniæ in Sabinis cum iſto confudiſſe. Planum attamen putarim, Sabinos hanc ædem vetuſtiſſimam, à qua Feroniæ cultus in eos propagatus erat, frequentaſſe. Hinc intelligitur lapſus M.Antonii Sabellici, viri alioquin eruditiſſimi, qui in adnot.ad lib.11. Livii putat aut Livium, aut Dionyſium, vel Ptolemæum erraſſe, quod Livius ædem Feroniæ ponat in Sabinis, alter in Latio ſub Circejo, ultimus in Hetruria, in quo etiam ſe involvit

vit Cluverius lib. 3. pag. 1014.; quandoquidem ſub Soracte monte, & Septempedæ, ac apud Trebulam Metueſcam in Sabinis fanum Feroniæ fuit, atque in Tuſcorum mediterraneis. Ædis Feroniæ ſub Soracte meminit Strabo lib. 5.: ejus apud Septempedam in Sabinis cippus apud Gruterum pag. 308.

C A M V R E N A E
C. F
C E L E R I N A E
F L A M. F E R O N
M V N I C I P I S E P T E M P
L. T I F E N N I V S F E L I X
M A R I T. O P T I M A E

ex quo arguitur fœminas Sacerdotes huic Deæ miniſtraſſe. Ejus apud Trebulam Metueſcam mentionem facit vetus inſcriptio reperta in ruderibus templi apud Fabrettum Inſcript. cap. 6. num. 68. pag. 453. ſic

Q. P E S C E N N
C O L O M N A S I I I
D E S V O D A T
F E R O N E A E
E T C R E P I D I N E M
A N T E C O L O M N A S
E X L A P I D E

Ædis, & luci Feroniæ in Tuſcia meminit Ptolemæus Geograph. lib. 3. cap. 1. tab. 6. Europæ, ubi Commentator ritè *Petram Sanctam* in ejus nomen ſucceſſiſſe adnotat. ita enim habet Tabula Viterbienſis apud Gruterum pag. CCXX. *Petram Sanctam olim fanum Feroniæ*, cujus Tabulæ fidem optimè vindicat Holſtenius adverſus ſuſpicionem de ea ex cæteris Annii Viterbienſis figmentis Cluverio obortam in notis ad pag. 564. linea 56. Ital. Antiq.

De qua vero Æde in Sabinis Livius, & Dionyſius infra relati verba fecerint, anceps eſt quæſtio. At Fabrettus loco jam adducto exiſti-

existimat eos loquutos de templo Feroniæ apud Trebulam, cujus magnificentissima rudera nunc quoque visuntur, id enim à Lacedæmoniis, qui in Pometinum agrum primum appulsi fuerant, conditum, & commune ob id fuisse Latinis, Sabinisque autumat: cui libenter subscribo, & fateor errorem, qui irrepsit Lib.I. Cap. IX.: ubi scripsi hanc ædem Latinis, Sabinisque communem in Soracte positam, nam Soractes mons in Falisçis,non in Sabinis fuit. Me fefellit Strabo lib.5., qui ædis Feroniæ in Soracte, sacrificii, & conventus statis anni diebus meminit, quum locus Strabonis mendosus proculdubio sit, referens enim ille sacrificium in ea solemnitate factum, quo Sacerdotes nudis pedibus prunarum ardentium struem illæsi perambulabant, intelligi omnino debet de templo Apollinis, & de ejus Dei Sacerdotibus in Soracte, de quibus Plinius lib.7.cap.2. hæc habet: *Haud procul urbe Roma in Faliscorum agro familiæ sunt paucæ, quæ vocantur Hyrpiæ, quæ Sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes, non aduruntur, & ob id perpetuo Senatus Consulto militiæ, aliorumque munerum vacationem habent*. In eadem penè verba Solinus cap. 8., Virgilius etiam lib.1. Æneid.

Summè Deum, sancti custos Soractis, Apollo:
Quem primi colimus; cui pineus ardor acervo
Pascitur: & medium, freti pietate, per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna;
Da, pater, hoc nostris aboleri dedecus armis.

ubi Servius, & Virgilii imitator Silius lib. 5. & 8. Ex tot tantisque auctoribus dilucidum fit sacrificium, quod in Soracte Feroniæ factum scribit Strabo,consuevisse fieri Apollini: neque facessit negotium quod plerique id sacrum in Soracte, non sub Soracte factum scribant: idem enim prorsus utrumque valet. Meritò igitur Strabonis exemplaria hoc loco corrupta suspicor, & vereor Strabonem errasse, sacrum Apollinis in Soracte attribuens sacro Feroniæ, cujus ædem, & lucum sub Soracte verè fuisse probat Holstenius notis in Cluverium lib. 2. pag. 547. linea ultima, ubi sub eo monte uno circiter milliario magna apparere vestigia templi Feroniæ scribit, atque ex Frontino, & veteri Inscriptione Vaticana eum locum Lucum Feroniæ dictum prodit: at-

que iſthæc vicinitas anſam fortaſſe errandi Straboni præbuit. Quare Livius, & Dionyſius ædem Feroniæ in Sabinis, Latinis communem ſtatuentes, haud potuere loqui de æde in Soracte, in qua nulla Feroniæ erat, ſed milliario longe à Soracte in agro Capenati, quod Fabretti opinionem manifeſtam facit.

Hiſce poſitis, videtur parum vera opinio, quam ſupra probavimus, quod ſcilicet Hannibal noſtram ædem depopulatus fuerit; quippè ſi Trebulæ ædes erat Feroniæ, conſtat ex Servio ad lib. 7. Æneid. in ea carmina:

Unà ingens Amiterna cohors, priſcique Quirites
. . . . . manus omnis, oliviferæque Mutuſcæ.

Hannibalem propè eam urbem populum Romanum ferè deleviſſe: en verba Servii: *Oliviferæque Mutuſcæ: Hæc Trebia poſtea dicta eſt: quam modo Tribulam dicunt: apud quam Hannibal delevit populum Romanum*, quod delirium grammatici dixerim, nam Trebia, apud quam Hannibal exercitum Romanum memorabili prælio fudit, fuit amnis ex Apenninis jugis in Padum apud Placentiam defluens, uti ex Livio, & Romanæ hiſtoriæ Scriptoribus conſtat. Virgilius vero eo loci de Mutuſca, quam Trebulam, ſeu Trebiam Mutueſcam, ſeu Mutuſcam dein vocarunt, cecinit. Hanc antiquis Tribulam dictam notant Cluverius lib. 2. pag. 683. & Holſtenius notis in Ital. ejusdem eadem pag. linea 27. 43. & 56., unde Servio anſa in errorem labendi data.

At quænam Dea eſſet Feronia operæ pretium eſt inquirere. Dionyſius lib. 2. tradit id nomen datum Genio ab æquorea delatione uti explicat Sabellicus in lib. 11. Livii. Varro ſuperius adductus opinatur eam Deam Fidoniam dictam, ideſt libertatum numen. Idem Dionyſius lib. 3. referens ædem Feroniæ Sabinorum à Spartanis iisdem, qui noſtram ædem condiderant, conſtructam, hæc habet: *Fanum eſt quod Sabinis æque ac Latinis ſumma religione colitur, ſacrum Deæ Feroniæ, quam Græci ſua lingua, alii anthephoron* (ideſt florigeram), *alii philoſtephanon* (ideſt coronarum amantem), *alii Pherſephonem* (ideſt Proſerpinam, ſeu ut Oiſelius vertit ferentem unius anni proventum) vocant. Servius verò ad lib. 7. Æneidos nomen Deæ ait Junonem, uti patuit ex ejusdem verbis ſuperiùs relatis. Alii ex Dionyſio

nysio Deam florum à Junone diversam credunt, inter quos Oiselius in Thes. Numism. antiq. ad tab. 48. n. 4. Reinesius inscript. 31. class. 1. ex istiusmodi inscriptione:

IVNONI REG
ET FERONIAE

eam putat à Junone diversam, cujus oppositum evincit sequens lapis apud Sponium in miscellan. sect. 2. pag. 83.

IVNONI FERON
L. F. SECVND
AEDEM. SIGNVM. PORTI
CVS D. P. S. D

quæ opinio mihi arridet, quicquid autumet Reinesius, qui quamquam ex notato cippo educat Feroniam à Junone diversam, nihilominus lapis potius indicat duplex epitheton Junoni datum, Reginæ scilicet, & Feroniæ, quemadmodum Junonem Reginam, fluoniam, & salutarem dictam scripsimus Lib. I. Cap. XIII. pag. 158.

Hoc idem ex verbis Livii elicitur, is enim lib. 20. cap. 1.: *Decemvirorum*, inquit, *monitu decretum est Jovi primùm donum fulmen aureum pondo quinquaginta fieret: Junoni, Minervæque ex argento dona darentur, & Junoni Reginæ in Aventino, Junonique Sospitæ Lanuvii majoribus hostiis sacrificaretur, matronæque pecunia collata, quantum conferre cuique commodum esset, donum Junoni Reginæ in Aventinum ferrent: quin & Libertinæ, vi ipsæ unde Feroniæ donum daretur pecuniam pro facultatibus suis conferrent.* Hinc scimus triplex epitheton datum Junoni, scilicet Reginæ, Sospitæ, & Feroniæ, nam post trinam Junonis mentionem, prioris scilicet, quæ cum Jove, & Minerva communiter colebatur, Sospitæ, & Reginæ; Feronia quasi altera quarta Juno recensetur. Porrò cum Servius ad lib. 7. Æneidos jam relatus prodat in hoc tractu Campaniæ sub Circeiis cultum Jovem puerum, & Junonem Virginem, Feroniam dictam, res in propatulo est; quippe Servius optimè calluit ritum, & nomi-

nomina Deorum, & asseruisse videtur templo Feroniæ, idest Junonis Virginis sub Circeis à Spartanis condito, respondisse aliud Jovis pueri, & imberbis Terracinæ positum. Ex quibus opinor patere, Feroniam Deam in templo, de quo verba fecimus cultam, eamdem & Junonem, Feroniam dictam à ferendo, quod Lacones è mari egressi voti compotes facti, ad eum locum ope Junonis delati essent, uti eleganter probat Fabrettus Inscript. cap.6. pag.451., & quæ sequuntur; Atque hæc satis sint ad id templum illustrandum.

CAPUT VII.

De Villis Circejensium.

IN agro Circejensi non paucæ Romanorum villæ steterunt; licet quorumnam illæ fuerint, ignoremus. Certè venationibus olim frequentatum fuisse Circejum, Polybius testatur, qui in excerptis Legat. cap.114. pag.946. se ipsum sæpè isthic venari solitum scribit, & Regem etiam Demetrium. Sunt quippe in planitie propè id promontorium sylvæ, & nemora venationibus aptissima. Erant & lactucæ in istiusmodi agro ampliſſimæ, & Romæ in deliciis testimonio Plinii lib. 19. cap. 8.: Abundabat proximum Circeiis mare ostreis substantia nigris, & testa, multumque laudatis ex Plinio lib. 32. cap. 6., & Juvenali satyra 4., cujus carmina alibi retulimus: Ex epistola 10.Ciceronis ad Attic.lib.15.appareret eundem Atticum, & Ciceronem ipsum illùc sæpè divertisse; Cæsares etiam vt patet ex Martiale lib. 11. Epigr. 8.

Cæsar in Albanum jussit me manè venire,
Cæsar Circejos:

Item ex Suetonio in Tiberio. Quamobrem animi haud pendeo asserere, Circejensem agrum villis Romanorum, & quidem illustribus, olim ornatum fuisse.

Inter has insignis proditur villa Liciniæ gentis. Eam fuisse ajunt eruditi in situ, ubi nunc lacus Fogliani: ubi fuisse Lucullorum delicias fama est ad nostram ætatem producta: perperam tamen, quum pateat ibi non Luculli, sed L. Licinii Murenæ magnificum

cum rus positum, at cum Luculli, & Murenæ ex eadem essent Licinia gente, facilè erratum est in agnomine. Id apparet ex loco Varronis de Re Rustic. lib. 3. cap. 3. ait: *Nostra ætas luxuriosa propagavit leporaria, ac piscinas protulit ad mare, & in eas Pelagios greges piscium revocavit: Non propter hos appellati Sergius Orata, & Licinius Murena? Quis enim propter nobilitatem ignorat piscinas Philippi, Hortensii, & Lucullorum?* Ex his Varronis verbis educitur piscinas Sergii, & Licinii ea arte factas, ut & maris aquæ, & fluviales illas abluerent. Itidem eas constructas Varronis ætate, & sic à L. Licinio, qui Consul fuit cum D. Junio Silano anno V.C. DCXCI. pro quo Ciceronis extat oratio. Is itaque Murena dictus est à pisce nobilissimo, quem Græci Murænam appellant, quod Murænarum ab usque freto siculo inter Rhegium, & Messanam in Latium advectarum, vivarium feciſſet: undè miratur Fulvius Ursinus in Licinia prima, cur Murena, & non Muræna potius servata Græcæ vocis orthographia scriptum ab antiquis fuerit. Ejusdem rei meminerunt etiam Macrobius Saturn. lib. 2. cap. 11., & Plinius lib. 33. cap. 3. In Latio, & tota ora ejus regionis nullus apparet locus, qui magis Varronis testimonio consentiat, quam iste, quem lacum Fogliani Holstenius, Kircherus, & vulgus vocitant: nam illìc visitur in maris litore piscina circuitus fere trium mille passuum, in quam intrant aquæ fluviales, maris etiam arbitrio piscatorum, cum arte ita hæc piscina constructa fuerit, ut pisces maris in eam admissi, obstruso piscinæ ore mare versus, egredi amplius nequeant. Lacus, hodieque dicitur, quod loca in quibus vivi pisces coercebantur, olim lacus, & stagna dicerentur, & Varronis ætate piscinæ, si eidem Varroni lib. 3. de Re Rustic. cap. 3. creditur, *Piscinas*, ait ille, *voco eas, quæ in aqua dulci, aut salsa incluſos habent pisces*. Piscina hodieque est magnifica, quam nobilis Cajetana gens Circejorum domina mille, & quingentis aureis quotannis locat.

Rudera priscorum ædificiorum circumquaque hunc lacum apparentia, & vivaria piscium, arte facta, ostendunt, id Romanorum opus fuisse, & Liciniæ gentis, quæ nullis parcebat sumptibus, ut immortalitati Villas suas donaret. Nunc diruta prætoria jacent, Nymphæi amnis aquæ à Bonifacio VIII. per Setinorum agros ductæ

in

in lacum non intrant, Nymphæi oſtia, olim dicta *Cloſtra Romana*, nempe *Clauſtra* quædam oſtio Nymphæi appoſita contra vim maris, arena oppleta ſunt Holſtenio in Cluverium ad pag. 992. linea 40. teſte. Et tamen is locus deliciis affluit, nam præter ſitum mari proximum, ibi coërcentur piſces fluminis & maris, hyemeque tanta eo loci avium eſt copia, ut piſcari ſimul, & aucupari liceat, & in lacus extremitate apros confodere. Itaque ætate Licinii, qua piſcina aquis Nymphæi replebatur & maris, Cloſtra Romana faucibus ejusdem hærebant, ædificia erant illìc ſplendidiſſima, & Aſtura oppidulum villis Romanorum celeberrimum tribus mille paſſibus à faucibus piſcinæ diſtabat, locus is procul dubio fuit perquam inſignis ob piſcatus, venationes, prætoria, & Murænas piſces, quos Romanis tùnc ſola hæc piſcina ſuppeditabat: ex qua aliqui ſuſpicantur Cæſarem populo ſubminiſtraſſe ſex Murænarum millia, quæ una cæna Aphricano triumpho exhibuit ex Plinio lib. 9. cap. 55., qui tamen diſertiſſimè narrat tantam Murænarum copiam Cæſarem emiſſe à C. Hirtio, qui in Villa ſua ſimile vivarium fecerat. Hinc hallucinatum puto Kircherum in ſuo Latio, ubi lib. 4. cap. 1. ſcribit hunc lacum dictum Pometianum ab Urbe Pometia eidem propinqua. Turres in hac Villa aſſurgebant, quas poſteritas *Turres albas* vocavit. Sic in Geographia Anonymi Ravennatis lib. 4. pag. 210., & lib. 5. pag. 254. cujus verba retulimus ſuperiori capite, inter Circejos, & Cloſtra Romana locus dictus *Turres albæ* deſcribitur, qui ſitus adamuſſim congruit huic ſtagno poſito inter Circejos, & Cloſtra Romana.

Proxima huic fuit Villa, & Piſcina Sergii Oratæ, quam ſuſpicor poſitam eo loci ubi nunc eſt lacus Sanctæ Mariæ, profundiſſimus, & conterminus ſinui maris magno, & pulcherrimo, quem vulgus *Porto di Paola* appellat, eademque arte facta, ut fluviales, & maris aquæ illam alluerent. Viſuntur illic ingentia rudera priſcarum ædium, præſertim in margine lacus ſilvis hærente. Illam feciſſe ajunt M. Sergium ex Conſulari, & nobiliſſima gente, qui Orata dictus proditur, quod illìc Oratas piſces coercuiſſet, teſte Varrone ſuperius adducto. Id ipſum referunt Macrobius Saturn. lib. 2. cap. 11. Plinius lib. 9. cap. 54. Valerius Maximus lib. 9. cap. 1. quamquam Feſtus de

ver-

verbor. signific. voce *Orata* aliter ſcribat: *Orata*, inquit, *piſcis appellatur à colore auri, quod ruſtici orum dicebant, ut auriculas oriculas: utque Sergium quendam prædivitem, quod duobus annulis aureis, & grandibus uteretur, Oratam dicunt appellatum*: quæ longè diverſa ſunt ab iis, quæ Varro, & Macrobius dicunt: quare malim Varroni, qui ea, vel proxima ætate vixit, credere, quam Feſto, qui rectè eum piſcem appellatum ait à colore auri. Hinc Martialis hunc piſcem Auratam per diphthongum appellat lib. 13. epig. 90.

Non omnis laudem, pretiumque Aurata meretur,
Sed cui ſolus erat concha Lucrina cibus

Hanc piſcinam priusquam Licinius ſuum vivarium Murænarum feciſſet, à Sergio in iſtiusmodi ſitu locatam patet ex Macrobio libro laudato cap. 11. *Hic eſt Sergius Orata, qui primus balneas penſiles habuit, primus oſtrearia in Bajano locavit, primus optimum ſaporem oſtreis Lucrinis adjudicavit: fuit autem ætate L. Craſſi illius diſerti, qui quam gravis, & ſerius habitus ſit, Cicero docet*, quo fit Fogliani vivarium ad ſimilitudinem alterius Sergii factum. Nec eſt cur aliquis arbitretur ex eodem Macrobio conſtare piſcinas jam dictas Romæ fuiſſe, ea enim Macrobii verba: *Arceſſebantur autem murænæ ad piſcinas noſtræ urbis ab uſque freto Siculo, quod Rhegynum à Meſſana reſpicit*, applicari debent piſcinis locatis in litore maris Romæ proximo; nam neque murænæ, aut oratæ ali potuiſſent in aqua tantummodo fluviali: & quum pateat ex verbis Varronis jam relatis utrumque Sergii Oratæ, & Licinij murænæ vivarium maris, & fluviales aquas alluiſſe, id mihi ſuadet Sergii piſcinam, & villam in loco jam dicto locatam, nam viſitanti litus Romanum nullus occurrit ſitus magis appoſitus, & Varronis verbis accommodatus, quam iſte: licet fatear neque hujus rei famam, aut certum teſtimonium antiquorum ſupereſſe.

Habuit quoque in iſtiusmodi agro villam Procilia gens, uti patet ex lapidibus priſcis effoſſis Ligorii ætate non procul ab Appia, in via, quæ divertebat Circejos. Cippos refert Ligorius in MSS. Otthobonianis voce *Prociliano*.

I.

PROSAE DEAE PIAE
SACRVM
VOT. SOLV. PROCILIA CALLINIA
L. CVRANTE

II.

GENIO CONSERVATORI
SACRVM
M. PROCILIVS THORINVS
TABVLARIVS A RATIONE POMPTINA

Procilia gens Romæ plebeja nobiles geſſit in urbe Magiſtratus, quemadmodum habetur ex faſtis Capitolinis, atque ex hocce ſaxo apud eumdem Ligorium verbo *Roma*, titulo *de Foro tranſitorio*.

IOVI. O. M. DOLICHENO
SEX. PROCILIVS SEX. F. PAPIRIANVS
PRAEF. VIGILVM VOT. SOLV. L. M
DEDIC. KAL. AVG. T. AEL
DOMITIANO AVGVSTO XVI.
M. VOLVSIO SATVRNINO II. COSS

Subiicit Ligorius, ſculptos dicto lapidi Circeiis effoſſo infantes duos, maſculum & fœminam ſe deoſculantes, ut alluderent dedicationi factæ Proſæ Deæ numini parientium ex Aulo Gellio Noct. Attic. lib. 16. cap. 16. & Genio, quem credebant pueros genitos ſuſcipere, ac tueri, ſi Cenſorino lib. de die Natal. cap. 5. fides danda eſt. Haud procul à promontorio & oppido Circejorum fuit & Villa Q. Xanctii Nyctei Liberti, & Procuratoris Auguſti à ratione Pomptina, quod probat ſequens lapis illic effoſſus, & ab eodem Ligorio voce *Xanthiano* relatus.

LIBE-

LIBERO PATRI
SACR
Q. XANCTIVS Q. L. NYCTEVS
AVG. N. PROCVRATOR
A RAT. POMPTINA

Ibidem, teſtimonio ejuſdem, repertæ ſunt ſtatuæ marmoreæ inſignis ſtructuræ, exhibentes transformationes Neptuni rapientis Celænem Atlantis filiam, Tyrumque filiam Salmonei. Quare Xanctius Nycteus villæ dominus alludere voluit fabulæ Neptuni, quem ex Celæne genuiſſe prodebant Nycteum patrem Antiopes Nymphæ, ex Hygino Fabula 98. & Apollodoro lib. 3. Bibliothecæ cap. 5. §. 5.

In MS. vetuſto vidi relatum hunc cippum Circejenſem.

MARIC. SANCT
L. PROCILIVS M. F. POMPT
PROCILIANVS
V. S. L. M

Si hæc inſcriptio genuina eſt, inde patet Maricæ Latini Regis uxoris ædem ſacram Circeiis poſitam fuiſſe. Sed cum hujus MS. author anonymus multa referat fabuloſa, ſatis ſit inſcriptionem retuliſſe, quamquam non putem ſuppoſiticium lapidem, quum Latini priſci Circen Maricam etiam dixerint ex Lactantio de Falſ. Relig. lib. 1. cap. 21. Alexandro Genial. lib. 6. cap. 4.

CAPUT VIII.

De Portu Circejenſi.

Ortus Circejenſis meminit Homerus Odyſſeæ lib. 10.

Æteam autem ad inſulam pervenimus: ubi habitabat
Circe pulcricoma.
Heic ad littus navi devenimus clam,
Navium capacem in portum.

Strabo etiam lib. 5. ſic: *Poſt Antium eſt Circejus mons, in medio eorum eſt Stura fluvius, & ad eum Navium ſtatio. Hinc continuum eſt, impetuoſumque litus, niſi quà ad ipſum Circejum parvum habens portum.* Cluverius itidem lib. 3. Ital. antiq. pag. 1002. hæc ſubdens: *ceterum ab occidentali Circeii promontorii latere quum exiguus quidam ſinus curvo littore recipiatur, Portus loco uſi ſunt eo Circejenſes.* Ad hæc Holſtenius in adnot. lin. 29.: *Imo ſinus eſt magnus, & pulcherrimus, vulgò* Porto di Paula *dictus, cui lacus profundiſſimus S. Mariæ jungitur. Portus ille bis mille navium capax eſt, & viſuntur circumquaque Romani portus veſtigia; ſcilicet annuli ferrei ingentis magnitudinis, ex quibus naves olim religabantur. In toto littore Latino nullus eſt portus huic comparandus, ſi ab arenis expurgaretur, flumine lacui immiſſo.* Hæc quæ Holſtenius aſſerit, veriſſima ſunt; nam & ego vidi amplitudinem iſtius Portus, annulos ferreos, & veſtigia clara regii plane operis: quare mihi coniicio Strabonis ætate hunc ſinum exiguum fuiſſe, ut is teſtatur, dein eum in tantam majeſtatem creviſſe: quo vero ætate, & qui Imperator Portum hunc in regiam amplitudinem redegerit, non liquet eruditis.

Sunt qui memorent eum Portum magnificè, uti reliquiæ innuunt, extructum à M. Julio Philippo Imperatore anno V. C. milleſimo circiter, quod in ruderibus ejusdem reperta ſit ſequens inſcriptio in laudem Philippi.

DIVO GORDIANO VICTORI PERSARVM: VICTORI GOTTHORVM VICTORI SARMATARVM DEPVLSORI ROMANARVM SEDITIONVM: VICTORI GERMANORVM SED NON VICTORI PHILIPPI

Hunc lapidem Circeiis effoſſum referunt Petrus Crinitus de Honeſt. diſcipl. lib. 17. cap. 1. Sebaſtianus Maccius in MSS. Chiſianis Inſcript. antiq. pag. 241. tom. 1. Illum Ligorius in Portu Circejenſi ſtatuit, quod tamen in incerto vagatur, nam ſaxum Portus non meminit, & proculdubio ſi Philippus eum condidiſſet, inſcriptam lapidi reliquiſſent poſteri ejus rei cauſam. Quare ego ſuſpicor Trajanum, qui oram maritimam à Centum Cellis ad Bajas, qua portubus, qua viis, qua ductibus aquarum, qua Coloniis additis, vel reſtitutis exornavit, teſtimonio antiquorum apud eruditiſſimos viros Franciſcum Blanchinum in diſſert. de lapide Antiati, quam elapſis annis emiſit in lucem, & Illuſtriſſimum Philippum à Turre Adrienſem Epiſcopum de Inſcript. M. Aquilii cap. 1. pag. 4. eundem etiam parvum Circejenſium ſinum, uti is erat Strabonis ætate, ampliaſſe, & in regium Portum redegiſſe. Immo arbitror inſcriptionem relatam potius innuere Circejenſes in hoc Portu Divo Gordiano Imperatori lapidem dedicaſſe, quum ſaxum decora Gordiani diſſertiſſimè memoret.

FINIS TERTII LIBRI.

INDEX RERUM.

A

ÆGEI herois ſepulcrum apud Athenienſes *pagina* 259. In cella ad illius veſtibuli lævam pictus Ulyſſes ex Ilii arce Palladium ſurripiens *ibid.*

ÆGERIÆ vallis ad lapidem primum Appiæ viæ 178. In loco nunc vulgò nuncupato *la Caffarella*, *ibid.* & 179. Ibi lucus, Camœnarum dictus cum valle, & pratis à Numa Camœnis dicatus 178. Illic fons Ægeriæ ſacer, & antrum ad ſimilitudinem Aricini *ibid.* In iſtone, an in Aricino Numa ſolitus fuerit congredi cum Ægeria Nympha *ibid.* Hujusmodi lulus, vallis, fons, & antrum à Romanis ſacrata Camœnis, & Ægeriæ, & quare *ibid.* & 179. Lucus in Aricino Ægeriæ & Dianæ à quo dicatus fuerit *ibid.* Quibus populis eſſet communis *ibid.* In hac valle fuit aqua Mercurii *ibidem*. *Vide* MERCURII AQUA.

ÆMILIUS Philemon Æmiliæ gentis Libertus ditiſſimus 163. Villam habuit in agro Setino in loco nuncupato *Vallejavone* 162. & 163. Ibi præclaræ villæ rudera 162.

ÆRARIUM apud ædem Saturni Latini habebant, & quare 22. & 29. Mos iſte in Latium invectus ab Herculis ſociis 30. Theſauri, publicusque cenſus in exteriori Fano condebantur 29. Sacra pecunia, & donaria Deo facta in penitiori Templi receſſu *ibid.* Sanctius ærarium 29. Quantum auri, argentique Cæſar extraxerit ex ærario *ibid.* & 30. Ærarii Præfectos Auguſtus inſtituit 233. Setiæ ærarium fuit 29. *Vide* SETINORUM ÆRARIUM.

ALRANUM oppidulum, ubi fuit rus Pompeii 101. Qua occaſione conditum *ibid.* Albani oppidi, & dein civitatis Epiſcopalis ſitus *ibid.*

ALBANUS carcer, ubi ſitus, ejusque deſcriptio 192. In eo cuſtoditus ſeptem diebus Perſeus Macedoniæ Rex cum Liberis *ibid.*

ALBIÆ gentis villa in Setino agro 163. Ejusdem ſepulcra in Setina via 209.

ALBIOLA urbs inter Setiam, & Coram, in jugo Lepinorum montium 124. In Pomptino ſita *ibid.* Quomodo Pometini agri denominatio accipiatur 123. & 124.

ALCMÆONIS Amphiarai filii tumulus Pſophidiis 258. Circà illum Cupreſſi tamquàm ipſius manu ſatæ, & ſacræ non cædebantur *ibid.*

ANNIAM gentem aliqui faciunt Lavinatem, & quare 226. Hoc reiicitur *ibid.* Alii Lanuvinam, & quare *ibid.* Et hoc reiicitur *ibid.* Cn. Flavius Scriba non fuit hujus gentis conſanguineus *ibidem*, & 227. Setina fuit, & ad Lu-

Lucium Annium Setinum genus retuliſſe probatur *ibid.* 228. & 229. Qui Latinorum Imperator cum Romanis ad Veſerim pugnavit 227. Quando, & quare Romana Civitate donata fuerit *ibid.* & 228. Setini cognomen plerisque hujus gentis, & Fulviæ fuit 229. Nonnulli viri illuſtres ex illa, & ex Baſſis, Fabianis, Anulinis, & Euchariis ex eadem ortis referuntur *ibid.* & ſeqq. Villam habuit in Setino agro 163. & 227.

Annia gens altera ex Succubitano Hiſpaniæ municipio, Etruria, aut Faventia oriunda 226. 232. & 233. Ex illa fuit L Annius Verus Imperator 226. Ex eadem Veri, & Veriſſi, ſeu Veriſſimi, quo cognomine ſæpè Hadrianus Imperator uſus eſt 232. & 233. Galli quoque, & Libones 232.

Antistiæ familiæ ſepulcrum inter decimum, & duodecimum lapidem Appiæ viæ 189.

Antium urbs in Pomptino ſita 124. & 125. Quomodo Pometini agri denominatio accipiatur 123. & 124.

Antonia gens ab Hercule, ſeu Herculis filio familiæ ſuæ jactabat originem 3. & 152. Ideòque illi Hercules tutelaris Deus *ibid.* Quid à Pomponio Muſa in denariis expreſſum ut Antoniæ familiæ alluderet? *ibidem*. Clientes habuit Setinos, & Triumviratus tempore ſuæ factionis 19. & 155. Ejusdem gentis villa celeberrima in agro Setino 148. Et ad Appiam viam *ibid.* & 202. Illius ſitus, & amplitudo 148. & 151. Ibi fontes aquarum, & etiam ſulphurei *ibid*. Balnei veſtigia, & illuſtrium ædium rudera etiam hodie conſpiciuntur *ibid.* Ea regio hodieque nuncupatur Antoniana, & mons, cujus ſummitatem attingebat, Antonianus, & corrupto nomine *Antignanus*, *ibid.* Hanc villam Antonia gens plurimùm adamavit, & quare 152. & 155. Illius fundus creditur, qui à Theodoſia nobili fœmina Eccleſiæ Romanæ relictus fuit *ibid.*

Antronia gens, ſeu, ſed minùs rectè, Autronia ex Apiolarumne urbe Latina, an ex Sabinis oriunda? 88. A quo Romam traducta fuerit *ibid.* Illius ſepulcrum in via Ardeatina *ibidem*. Plebeja *ibidem*. Romæ illuſtris *ibid.* & 89.

Apiolæ, ſeu Appiolæ urbs vetuſtiſſima priſcorum Latinorum 86. Pometiæ finitima *ibidem*. Quo loci in agro Setino fuerit 87. A L. Tarquinio priſco diruta, & concremata *ibidem*, & 88. Et ex illius præda Circus Maximus Romæ conditus *ibid.* In Pomptina palude ſita 124. Sed veriùs in Pometino agro 128. Sed quomodò Pometini agri denominatio accipiatur 123. & 124.

Apollinis templum Setiæ extructum 50. Quo loco ſitum 51. Illius rudera *ibid*. Apollinis, aliorumque ædes ad Appiam viam non procul à Porta Capena 175. Ejusdem templum

immenſæ molis ad Appiam viam Terracinæ 214. Ubi nunc eſt Eccleſia cathedralis S. Cæſarii *ibid.* Aliud ejusdem templum in Soracte monte 267. Ubi ſacrificium, quo Sacerdotes nudis pedibus prunarum ardentium ſtruem illæſos perambulaſſe narrantur *ibid.*

Appia aqua inducta fuit ab Appio Claudio Coeco Cenſore 164. & 165. Ab eoque ſic appellata 164.

Appia Porta. *Vide* Capena Porta.

Appia Via ſtrata fuit ab Appio Claudio Coeco Cenſore 164. & ſeqq. Ab eoque nomen accepit 164. & 172. Incipiebat à Capena Porta 164. Vel intrà Urbem à Septizonio Severi *ibidem* & 174. Eamque idem Appius conſtravit Capuam uſque 165. & 166. Quo & quanto tempore hoc opus perfectum fuerit *ibid.* Ejus longitudo, & latitudo *ibidem*. Ejus ſtructura mirabilis, & opera propter hoc facta *ibid.* & 172. Hæc via Capua Brunduſium uſque non fuit ſtrata ab eodem Appio 166. Quo tempore, e quare eò uſque munita fuerit *ibidem*, & 167. Auguſtus Appiam viam penè collapſam reſtituit *ibidem*. Veſpaſianus refecit *ibid.* & 168. Domitianus inſtauravit 169. Nerva Coccejus refecit 168. Et metis milliariis diſtinxit 105. Item Trajanus refecit 168. Antoninus Pius reſtituit 169. Item Valens Imperator 170. Item Theodoricus Gothorum Rex *ibid.* Dicta etiam fuit Triumphalis, & quare 165. Item Trajana à Trajano refectore, & exornatore 168. Item Valeria Claudia & Ulpia Claudia, & quare 169. Item Domitiana à Domitiano inſtauratore *ibidem*. Ab Appii foro Terracinam uſque nunc tota paluſtris eſt 129. Ejusque ſparsìm in aquis miſerandæ reliquiæ cernuntur 211. Referuntur itineraria per Appiam viam Roma Capuam uſque cum pluribus locis, urbibusque occurrentibus 173. & 174. Deſcribitur accuratè eadem via Roma Terracinam uſque cum inſignioribus locis, & monumentis, quæ in illa, vel juxtà illam erant *ibid.* & ſeqq. Romani ad Appiam viam monumenta, & villas conſtituebant, ut venientes ex Græcia, Africa, & Aſia eorundem nobilitatis, & honorum titulos legerent 182. & 193.

Appii Forum conditum ab Appio Claudio in Appia via, quam ipſe ſtraverat 93. Fuit velutì Emporicum quoddam *ibidem*. Et oppidum, cui nomen à Foro, & ab Appio conditore manſit *ibid.* Quo exemplo ſimilia fora in Italia conſtituta ſint *ibidem*. Quando conditum *ibidem*. Quo loci fuerit ſitum, de eo diverſæ opiniones *ibidem*, & 94. Probatur fuiſſe in loco agri Setini, quem accolæ dicunt *Caſarillo di Santa Maria*, *ibidem*, & ſeqq. Ubi ampla viſuntur veſtigia deleti oppidi 94. & 105. Inter duos fluvios, quos accolæ

Cavatellam, & *Cavatam* vocant 113. Quoto lapide per Appiam viam distaret ab Urbe 94. 95. 105. & 211. Fuit sub clientela Appiæ, seu Claudiæ gentis, & usque ad quod tempus 109. Ejus statuæ ibi positæ *ibidem*. Fuit situm in Pomptina palude 123. Sed verius in Pometino agro 128. Sed quomodo Pometini agri denominatio accipiatur 123. & 124. Nunc cum universo agro circumjacente Pomptinæ paludis aquis submersum jacet 129. Fuit in eo Liberi patris templum, & quare 111. *Vide* LIBERI PATRIS TEMPLUM. Propè Appii forum arcus admirandæ structuræ 105. & 106. Balneæ etiam, balneumque aquæ sulphuratæ *ibid*. Capra marmorea Foro Appiensibus religiosa, & quare 112. Seu potius caper marmoreus, & quare *ibid*. & 113. Apud Appii forum stationem habuit Beatus Paulus Apostolus 199.

AQUILIÆ gentis, & Lucretiæ monumenta ad Appiam viam inter Capenam portam, & secundum lapidem 181.

ARA Maxima Romanis dicebatur Ara Herculis ab Evandro erecta 2. Ibi decimæ Herculis offerebantur, juramenta, & pacta peragebantur *ibidem*. Ad ipsius sacra institutum ab Hercule Sacerdotium in duabus familiis Potitiorum, & Pinariorum 3. & 43. Pinariæ interdictum ad epulas sacras convenire, & quare 48.

ARBORES ab Heroibus plantatæ, & propriè apud tumulum Herois sacræ erant 258. Referuntur exempla *ibid*.

ARICIA urbs ad quotum lapidem Appiæ viæ fuerit, de eo diversæ opiniones 192. & 193. Quæ magis placeat *ibid*. Situs vetustæ situi recentioris non consentit *ibid*.

ARRIÆ gentis monumentum ad Appiam viam 174. Situm propè locum, ubi nunc ædicula, vulgò nuncupata, *Domine quò vadis*, *ibid*.

ARRUNTIÆ gentis sepulcrum inter decimum, & duodecimum lapidem Appiæ viæ 189.

ARTENA urbs Ecetræ proxima 127. In Pomptina palude sita 123. Sed verius in Pometino agro 128. Quomodo Pomentini agri denominatio accipiatur 123. & 124.

ARTIFICUM collegia an fuerint Latinis, non liquet 59. A Numa Romæ primùm fuerunt instituta & quare *ibid*. & 60. Romæ, & in Coloniis ad excidium usque Romani Imperii manserunt *ibid*. Numerantur diversarum artium collegia, & qui illorum meminerint *ibid*. Collegiorum Romæ & in Coloniis jus *ibid*. & 61. Quis illa posset instituere, & eorum nonnulli mores referuntur *ibid*.

ARVALES fratres in Luco Feroniæ quotannis sacra faciebant 263.

ASTURA oppidulum in agro Circejensi Romanorum villis celeberrimum 272.

AUGUSTUS Legionem Scythicam IV. instituit 51. Vinum Setinum

num prætulit cunctis 105. & 146. Pomptinas paludes exsiccavit 131. & 132. Ex iisque exsiccatis agrum sibi fecit privatum 133. Appiam viam penè collapsam restituit 167. Statuas eorum, qui Romanum Imperium ex minimo maximum reddidissent in utroque fori sui porticu dedicavit 122. Eidem vivo, mortuoque templa, sacerdotes, & collegia sacrata in omnibus provinciis, perque urbes celeberrimas 51. Flamines viventi adsignati, & Sacerdotes constituti *ibid.* Ejus templum, Augustales, qui ejus sacrificia curarent, & collegium Augustalium Setiæ fuerunt *ibidem*, & 59.

Augustalium collegia post mortem Augusti constituta 51. Illius sacra curabant asserere 52. Et penès eadem erat de iis sacris judicare *ibid.* Hoc sacerdotium tempore Tiberii initium habuit 51. & 55. Et Coloniæ imperantis Urbis exemplo Augustalium Sacerdotum collegia instituerunt *ibidem*. Augustales Seviri, & Augustales Magistri, qui essent 52. & 55. Et an iidem, an diversi *ibidem* & 56. Erat Augustalium sacerdotium annale 56. & 58. A Decurionibus cooptabantur 56. & 57. Ad collegium Augustalium pertinebat sacerdotium prorogare ad quinquennium 59. Seviri Augustales munere quāvis functi titulum honoris gratia retinebant *ibid.*

Augusti fossa ab eodem ducta à foro Appii ad Feroniæ usque Fanum tria milliaria Terracina distans 114. Ejus longitudo *ibidem*. Quibus aquis impleretur 113. & 115. Augusti ætate in mare non intrabat 114. Per illam navigabatur, & quomodo itineri per Appiam viam inserviret 113. & 114. Non fuit illa, quam nunc *Cavatellam* vocant, sed alia, quam *Cavatam* appellant *ibidem* 115. & 202. Ducta fuit propè Appiam viam per agrum Circejensem, & dein Setinum, & Foroappiensem 260. Eandem Nero auxit 115. *Vide* Neronis fossa.

Augusti villa in agro Setino 157. Finitima villæ Mæcenatis *ibid.* & 160. Sita in regione, quam *il Palazzo* appellant *ibid.* & 161. Eo loci rudera insignis villæ visuntur, Pomptina palude ferè absorpta 160.

Auli Persii Satyricorum facilè Principis villa ad octavum lapidem Appiæ viæ 185. In ea mortuus & sepultus traditur *ibid.*

Aureliæ, Avilliæ, Aveniæ, & Attiæ gentium monumenta ad Appiam viam inter portam Capenam, & secundum lapidem 181. Statuitur etiam Aureliorum monumentum ad sextum lapidem ejusdem viæ 185.

Aurigarum, qui Circenses agitabant, factiones diversæ 152. Quæ diversis coloribus utebantur *ibidem*. Primò duo fuerunt Albus, & Russeus: dein additi Prasinus, & Venetus *ibidem*. Quibus ii colores voti, seu con-

ſecrati eſſent *ibidem*.

AURUNCA urbs Auruncorum à Sidicinis deleta 69. & 72. Reiicitur opinio, illam ponentium in Campania 69. & ſequentib. In priſco Latio fuiſſe probatur 72. & ſeqq. Sita in Pomptina palude 123. Sed veriùs in Pometino agro 128. Quomodò Pometini agri denominatio accipiatur 123. & 124. Ea urbe deleta Aurunci Sueſſam Pometiam convenerunt 72. & ſeqq. Quæ ideò & etiam Sueſſa Auruncorum, & Aurunca dicta fuit 69. & ſeqq. & 79. *Vide* SUESSA POMETIA.

AURUNCI populi priſci Latii habitatores 70. 72. & ſeqq. Inter Ufentem,& Circejos 70.Cur ità vocati *ibid.* Incoluerunt etiam Campanos agros 69. & 70. Sueſſam Pometiam incoluerunt Aurunci Latini nominis 79.

AUSONA antiqua Auſonum urbs 71. & 72. A quo condita 71. In Latio non procul à Circejo *ibid.*

AUSONES priſci Latii habitatores 70. & 71. Inter Pometinum, & Oſcos *ibidem*. Campaniam etiam incoluerunt 70. & 72.

AUSONIA vocata hoc etiam nomine fuit Italia 69. Et Latium 71. Primitùs Beneventana regio 69 & 71. Quod tamen non placet *ibid.*

B

BALNEÆ propè Sinueſſam, quæ mulierum ſterilitati ſuccurrebant 65.

BARBARI omnia ferè Latii magnifica monumenta, & cum primis Appiam viam fœdè vaſtarunt, 134.

BARBARICI campi fuerunt vaſta planities circumquaque Regetam locum 121. Ad quadrageſimumſextum lapidem Appiæ viæ 211. Illius deſcriptio 121. Ibi Gothi Vitigin Regem elegerunt 118. 121. & 211. Cur à Romanis nuncupati Campi Barbarici 121. & 122. Victoria ibi à M. Valerio reportata ex duce Gallorum *ibidem*, & 122. Cur propterea cognomen habuit Corvini *ibid.*

BASILICA ſancti Petri Apoſtoli ad Ciſternam Neronis 199. Sita via Appia in Silice *ibid.* Quando reſtaurata, & decorata *ibid.* Eo loci fuerat vetuſtum oppidum *ibid.*

BASILII monumentum, ſeu Baſilii buſtum ad Appiam viam conterminum Ægeriæ, & Camœnarum ſylvis 179. Locus latrociniis perquàm infamis *ibid.*

BASSIANI caſtrum recens inter Setinos & Lepinos montes 161. Situm ubi magnifica villa T. Julii Petini Baſſiani fuit *ibidem*, & 162. Ab eoque nomen accepit *ibid.*

BENEVENTANA regio juxtà aliquos prima in Italia vocitata eſt Auſonia 69. 70. & 71. Quod tamen non placet *ibid.*

BOJONIA familia Lanuvina, ex qua Antoninus Pius Imperator, & alii Cæſares ejus gentis 194. Villam habuit ad decimumſeptimum lapidem Appiæ viæ *ibid.*

Il-

Illius rudera visuntur *ibid.*
Bona Dea eadem ac Fauna Fauni Latinorum Regis uxor 188. Illius ædes ad Appiam viam in fundo villæ Sextii Galli *ibid.* Situs & vestigia ejus *ibidem* & 189. Ejus Deæ sacris viri arcebantur 47.
Boves immolari in prisco Latio edicto cautum erat 46. Bos tamen Herculi sacer semper immolatus *ibid.*
Bovillarum oppidum ad Appiam viam 187. Quo loco & quoto lapide ejusdem viæ positum *ibid.* Ad Bovillas occisus fuit P. Clodius à T. Annio Milone *ibid.* & 189.

C

Caberina familia fori Appii 113. Villam habuit propè idem oppidum *ibidem*. Ubi sita *ibid.*
Cæsar Africano triumpho una cœna exhibuit sex murænarum millia 272. Ex qua piscina illas habuerit *ibid.* Quantum auri, argentique extraxerit ex ærario 29. Villam, quam habebat ad Appiam viam diruit & quare 193. Tiberim fossa exceptum Terracina immittere mari meditabatur, & quare 115. & 116. Pomptinarum paludum exsiccationem aggressus est 131.
Cajus Lucilius Poeta ex Lucilia familia Patricia, vel equestri 84. *Vide* Lucilia familia. Quando natus *ibid.* Eques Romanus sub Publ. Africano militavit *ibid.* Alienæ iniquitatis acerrimus accusator primùs cœpit satyram scribere *ibid.* Supra triginta satyrarum libros scripsit *ibid.* Descripsit etiam P. Scipionis Africani gesta *ibid.* Cujus ætatis & quando Neapoli obierit *ibid.* Publico funere elatus *ibid.* Quanti fieret ab Adriano Imperatore *ibid.* & 85.
Cajus Valerius Flaccus Poeta inter eos, qui heroica decantarunt admirandus 236. De Argonautis octo volumina scripsit *ibid.* Opusque celeberrimum, sed immaturum Domitiano, seu veriùs Vespasiano dicavit *ibidem*. Illius operum fragmenta usque ad quartam partem, ubi & à quo inventa 237. Alii eum Patavinum faciunt, alii Romanum 236. & 237. Sed his rejectis, Setinum fuisse ex Valeria gente probatur *ibid.* & 238. *Vide* Valeria gens.
Caii Caligulæ villa ad Appiam viam in Veliterno 196. Cœna ibi appellata nidus & quare *ibid.*
Calatinorum, idest Attiliæ gentis monumenta inter Capenam, & secundum lapidem Appiæ viæ 180.
Calpurniæ gentis villa ad Appiam viam 201. Illius situs, & extensio *ibid.* In ea extinctus Calpurnius Galerianus & quo genere mortis & quare 202. Ejus gentis illic extabat monumentum *ibid.*
Camoenis lucus, seu vicus, & templum à M. Fulvio nobiliore dicatum ad Appiam viam 178. In eo L. Attius Poeta cum bre-

vis admodùm esset, maxima forma statuam sibi posuit *ibid.* Iste lucus conjunctus alteri, etiam Camœnarum dicto in valle Ægeriæ. *Vide* Ægeriæ vallis.

Canens Pici antiquissimi Latii Regis uxor 246. Post quæsitum conjugem, quem Circe in avem converterat, in auram evanuisse putabant *ibid.* Post consecrationem Pomona dicta, Pomorumque Dea facta 247. Ejus ædes sacra Pomonal dicta, ubi in auras evanuerat *ibid.* Quo loci id evenerit *ibid.* Quamquam hæc fabulosa, cultus tamen verus *ibid.*

Canis sacris ædibus arcebatur à Latinis & quare 46. Quo die Herculi sacrificabant, canes omnes à templis & urbibus pellebant & quare *ibid.*

Capena porta urbis Romæ 164. Cur ità dicta *ibid.* An fuerit eadem ac porta Fontinalis & cur Capena madida appellata fuerit 165. Dicta est etiam porta Appia 175. Nunc vocitatur porta sancti Sebastiani 164. Ab illa incipiebat, seu per illam transibat Appia via *ibid.* & 175.

Capena urbs non in celebris Latinorum 164. Condita à Siculis juxtà Albam *ibid.*

Caper Baccho immolabatur, & quare 112. & 113.

Capitolinus seu Tarpejus mons, olim appellatus Saturnius 21. In eo Saturnus regnavit 24. Antiquum oppidum nomine Saturnium in eodem ab Arcadibus extructum 21. In eo colle ara Saturni ab Hercule erecta 2.

Capra immolabatur Æsculapio, & quare 113. Capra ex ære à Philiasiis populis in honore habita, & quare 112. Capra marmorea. *Vide* Appii forum.

Carceris antiqui locus in monte Setiæ proximo 7. Vulgò appellatur *Oiso*, *ibid.* Horridus carcer, Romanorum ætate fuisse creditur *ibid.* Ejus descriptio, & profunditas *ibid.* Qua occasione detectus *ibid.*

Casceliæ gentis villa inter decimum & duodecimum lapidem Appiæ viæ 191. Proxima Domitiani ruri *ibid.*

Catia gens Setina 235. Romæ prætoria fuit *ibid.* Aliqui viri illustres ex eadem referuntur *ibid.* & 136. Ejusdem monumentum ad quadragesimumprimum lapidem Appiæ viæ 210. & 211.

Cavata flumen fori Appii ruderibus finitimum 115. Idem ac Augusti & Neronis fossa 114. & 115. *Vide* Augusti fossa. Recipit aquas, quas Romanotum ævo non recipiebat *ibid.* & 137.

Cavatella flumen decurrit per fossam, quæ Romanæ Reipublicæ ævo existebat 106. In Ufentem effunditur 114.

Cedrus arbor primum plantata in promontorio Circejo 255.

Ceriales erant diversoria ad Appiam viam 198. Quo loci ejusdem viæ sita *ibid.*

Circe, seu Circes Solis, & Persis Nymphæ filia, Regis Colchorum

rum ſoror, veneficiorumque peritiſſima 244. Mirabiles variarum herbarum naturas ac vires adinvenit 252. Sponſum Sarmatarum Regem veneno ſuſtulit 244. & 252. Crudeliter imperans expellitur 244. In Italiam profugit, in promontorio ſibi ſedem delegit *ibidem*. Cui à Circe nomen inditum 246. 248. & 252. Ejus fabuloſa miracula transformationum 244. & 245. Opinio de adventu Circes in Italiam, ejusque habitatione in hoc promontorio Græcis, Latinisque ſcriptoribus inſedit 244. & ſequentib. Quod tamen ab aliis Græcorum commentum creditur 246. 252. 258. & 259. Quid anſam præbuerit fabulis de Circe in promontorio Circejo 252. & 253. Culta tamen in eo fuit 246. 252. 253. & 259. Græca gens primum cultum Circis in montem illum advexit 249. Coloni Circejenſes Circen colebant, non verò Romani 252. A priſcis Latinis Circe fuit etiam vocata Marica 275. Ejus templum in Circejo promontorio à Græcis conditum 246. & 252. Inſtar caſtri ſaxis quadratis *ibidem*. In qua parte promontorii ſitum 255. Quantæ religionis eſſet Circejenſibus, Latinisque 246. & 253. Eidem figmenta errorum Ulyſſes, & Circis fabulæ fuerunt accommodatæ 253. & ſequentib. In eo erat ara Minervæ 253. & 254. Et poculum ſervabatur, e quo bibebat Ulyſſes cum ejus ſocii mutarentur in beſtias *ibidem*. Et roſtra navium ejusdem Ulyſſis *ibidem*. Et ara ipſi dicata *ibid.* Et cella, in qua eidem quotannis ſacra, & parentalia fierent 255. Hujus templi veſtibulo cedrus arbor Numini devota hærebat, & quare *ibidem*. Ejus Sacerdotes in templo Circejenſi erant fœminæ 253. Præerant veneficiis *ibidem*. Magicorum rituum incantamentis, & radicibus herbarum venenatos ſerpentium morſus curabant *ibid.* Tractabant impunè ſerpentes, quorum copiam ſub templo ſervabant *ibid.*

Circejensis ager venationis, aucupii, & piſcationis deliciis affluens 270. & 272. Illuſtribus Romanorum villis ornatus 270. & ſequentibus. Producebat lactucas ampliſſimas & Romæ in deliciis 270. Proximum mare oſtreis abundabat multum laudatis, ſubſtantia nigris, & teſta. *Vide* Circejum promontorium. Devaſtata Pometia, & dein Sueſſa Pometia Pometini agri pars Circejenſibus acceſſit 261. & 265. Circejo diruto Circejenſis ager ſub Terracinenſibus, & Setinis fuit 262.

Circejensis portus quo loci promontorii Circeii fuerit 276. Priùs fuit exiguus, deindè Regiæ magnificentiæ *ibidem*. Qua ætate, & à quo Imperatore in eam amplitudinem redactus fuerit *ibid.* & 277. Hujusmodi Regii

Regii operis vestigia clara adhùc extant 276.

Circejum promontorium, seu Circejus mons, ubi situm 241. Insulam fuisse aliqui referunt *ibid.* & seqq. Quomodò sit hoc intelligendum 243. Ejusdem altitudo 244. Robore, lauro, & myrto abundans 256. Variis herbis uberrimum 244. Radicibus abundans, & venenorum ferax 252. & 253. Hinc ansa fabulis de Circe 252. Græci à Circe illi nomen indiderunt 246. 248. & 252.

Circejum, sive Circeii urbs in extremo Latio 241. Volscæ regionis, sed Latinis priscis accensita *ibid.* Sita in Pomptina palude 123. Sed veriùs in Pometino agro 128. Quomodò Pometini Agri denominatio accipiatur 123. & 124. Sita in Promontorio Circejo 241. Quo loci ejusdem promontorii fuerit 243. & 244. Condita fertur à Circe *ibidem*, & sequentib. Circes in hoc promontorium adventus in dubium revocatur 246. Fabulosus creditur *ibidem*, 252. 258. & 259. Nihilominùs à Græcis hæc urbs condita fuit 241. 246. 248. & 252. Qui eidem à Circe nomen indiderunt 248. Et primùm cultum Circes in montem illum advexerunt 249. Hæc urbs antiquissima fuit Albanorum Regum Colonia 248. Circeiique à Latino Silvio Albanorum Rege primùm Coloni adscripti *ibidem*. A Tarquinio Superbo aucta, & instar Coloniæ Romanæ redacta 247. & 248. Decima fuit Colonia à Regibus Romanis deducta *ibidem*. Illam Coloni Romani, & reliquiæ Græcanicæ gentis simùl incolebant 249. Capta à Marcio Coriolano Volscorum duce *ibidem*. In Romanorum rediit potestatem, sed ab eisdem deficiens vincitur, & oppugnatur *ibidem* & 250. Iterùm deficit, iterùmque vincitur, agrisque multatur *ibidem*. Consulum Romanorum jussis parere detrectat, & ideò multata *ibidem*. Factionis Marianæ fuit, ideòque à Sullanis eversa *ibidem*. Ciceronis ætate florebat *ibid.* Augustus M. Lepidum collegam Circejos in perpetuum relegavit *ibidem*. Illùc etiam Colonos misit, agrumque veteranis militibus assignavit 251. Hæc Colonia florebat ætate Tiberii, qui ibi Castrenses ludos dedit *ibidem*. Circeii quomodò aliter in aliquibus codicibus scripti reperiantur 250. & 251. Fuit Romana Colonia *ibidem*, & 11.

Circus in Appia via, cujus reliquiæ apud ædem sancti Sebastiani visuntur 177. Antonini Caracallæ fuisse traditur *ibid.* Alter circus in eadem Appia via proximus Juliæ gentis sacrario 188. *Vide* Juliæ gentis monumenta. Circus maximus ex Apiolarum præda Romæ conditus 87. & 88.

Cisternæ oppidum recens inter Sirminetum, & Velitras 116. & 117. Situm in loco, ubi

ubi fuit ciſterna Neronis *ibid.* 199. & 199. de qua *vide* NERONIS CISTERNA. Error conſtituentium hoc oppidum, ubi erant Tres Tabernæ 117. & 197.

CLEMENTIS XI. Pontificis Maximi laudes, & cura ut Pomptinæ paludes exſiccarentur 143. & 144.

CLODII rus ad Appiam viam, haud procul à Bonæ Deæ ſacello 189. Illius extenſio *ibid.*

CLOELIÆ, ſeu Cluiliæ foſſæ ad Appiam viam 184. Cur ità dictæ *ibid.* Quo loci ſitæ 185. Illarum extenſio *ibid.* Horatiorum, & Curiatiorum pugna ibi fuit 184. & 185. Ibi etiam eorumdem ſepulcra quinque, & quo ordine diſpoſita *ibidem*. Error eorum, qui illa alibi ponunt *ibid.*

CLOSTRA Romana, quæ fuerint 138. & 272. Cur ità dicta *ibid.* Ubi fuerint 137.

CÆCILIÆ gentis ſepulcrum ad quintum lapidem Appiæ viæ inter Horatiorum, & Curiatiorum ſepulcra 185. Ibi ſepultus fuit Atticus *ibid.*

CÆLIÆ familiæ monumentum ad quintum lapidem Appiæ viæ 185. Ubi ſunt foſſæ Cloeliæ *ibid.*

COLLEGIUM ſocietatis Jeſu Setiæ extructum ære publico viginti quinque mille aureorum 35. Situm ubi erat Herculis ædes *ibid.*

COLONIÆ, quæ à Romanis ducebantur, aliæ erant militares, & cur deduci ſolerent 14. Aliæ Senatus juſſu deductæ, ex quibus aliæ Romanæ, aliæ Latinæ *ibid.* Quænam eſſent Romanæ Coloniæ 11. Quæ publica jura haberent *ibid.* Illarum dignitas 12. Coloniæ Latinæ quænam eſſent, & quod jus haberent 11. Quanti hoc jus facerent Romani *ibid.* & 12. Earum dignitas *ibidem*. Nulla Colonia foro carebat, & cui uſui illud inſerviret 34. Colonicis magiſtratibus ad Auguſti Imperium tempus definitum non erat 111. Coloniæ, præfecturæ, & fora Romana republica florente, & tempore Imperatorum *ibidem*.

CONSULATUM gerere Romæ plebei quando cœperint 216.

CORA Volſcorum urbs 64. & 126. In priſco Latio ſita 64. & 73. Albanorum Regum Colonia 64. Colonia Latina 73. & 76. In jugo Lepinorum montium ſita 126. Et in Pomptino agro 124. Quomodò Pometini agri denominatio accipiatur 123. & 124.

CORBIO vetus, hodiè Montis Fortini caſtrum 127.

CORNELIA gens villam habuit in Setino agro, ubi dicitur *i Maruti* 161. Ejusdem monumentum ad Appiam viam 180. *Vide* SCIPIONUM MONUMENTUM.

CORNELII Cethegi Conſulis rus ad viam Setinam, conterminum tabernæ Maruti 210.

CORVI avis monumentum ad Appiam viam 176. Quanta pompa fuerit ſepultus *ibid.*

Cosconiæ gentis villa ad Appiam viam 196.
Crispinæ fœminæ ignotæ gentis monumentum ad Appiam viam 213. Ubi ſitum *ibidem*. Elogium de ejus genere mortis, *ibid.*
Curia ità dicta à cura ſacrorum, & rerum publicarum 29. Latini curias, quibus Senatus convocaretur in templis Deorum, aut in ædibus iis adjacentibus conſtituebant 28. Ipſi & dein Romani in ædibus ſacris de rebus publicis ſolebant tractare 29. Curia fuit Setiæ *ibid.* *Vide* Setinorum curia.
Curiatiorum ſepulcra, ubi eſſent. *Vide* Cloeliæ fossæ.

D

Decennovius fuit dictus Ufens fluvius, & quare 118. *Vide* Ufens.
Deciæ familiæ ſepulcrum inter tertium & quintum lapidem Appiæ viæ 183.
Decurionatus fœminis, & libertis ex lege Viſellia conferri haud poterat 55.
Deæ viarum Præſidi, Plutoni, ac Proſerpinæ ſacellum lapide tertio Appiæ viæ 182. Ejus ornatus *ibid.*
Dis, & Saturnus præcipua Numina eorum, qui in arenam deſcendebant 34.
Domitianus amphitheatrum in Albano extruxit 33. Cujus reliquiæ etiam hodie viſuntur *ibid.* In templo eidem dicato ad Appiam viam ſub imagine Herculis colebatur 185. & 186. Erat in prædio ejusdem Imperatoris *ibid.* Ejusdem Domitiani villa ad duodecimum lapidem Appię viæ 190. Illius rudera pertingunt ſummitatem montis, ubi Alba erat *ibid.* Quæ oſtendunt illic diverſa ædificia inſignis ſtructuræ fuiſſe *ibidem.* Hoc rus alii Cæſares poſt ea frequentarunt 191.
Durariæ gentis ſepulcrum ad tertium lapidem Appiæ viæ 182.
Duumviratus, Magiſtratus Colonicus ad Auguſti Imperium definitum tempus non habuit 111. Poſteà ſemper fuit annuus, niſi ex indulgentia Principis prorogaretur *ibid.*

E

Eburia familia in agro Setino villam habuit 163. M. Eburii ſepulcrum in agro Veliterno ad Appiam viam 196.
Ecclesia ſancti Andreæ Apoſtoli ad triceſimum lapidem Appiæ viæ 199. Reſtaurata, & ornata à Leone III. *ibid.* Sita in loco, qui nunc dicitur *Torre Tibalda ibid.*
—— ſancti Eleutherii in finibus caſtri Tiberii 199.
—— vetuſta ſancto Jacobo dicata ad Appiam viam, non procul à Regeta loco 212. Hinc proxima foſſa vocitatur ſancti Jacobi *ibid.*
—— divo Matthæo ſacra ad triceſimum ſecundum lapidem Appiæ viæ 201. Ibi adhùc eſt locus, quem ſancti Matthæi vulgus

gus appellat *ibid.*
—— divo Paulo Doctori Gentium dicata à Foro Appienſibus ad quadrageſimumſecundum lapidem Appiæ viæ, & qua de cauſa 211. Ex antiquo Setinorum diplomate ſitus ille ſancti Pauli fundus vocitatur *ibid.*
—— ſancti Thomæ Apoſtoli ad Appiam viam Tres Tabernas inter & Ciſternam 199.
ECETRA urbs, ubi fuerit ſita, diſſident inter ſe Scriptores 125. Probatur fuiſſe non procul à Cora in jugo Lepinorum montium 126. & 127. In Pomptino ſita 124. Quomodò Pometini agri denominatio accipiatur 123. & 124.
ELPENOR Ulyſſis ſocius 256. Ebrius per ſcalas domus Circis cecidit & ideò mortuus putatur 257. Ab Ulyſſe Circeiis cum armis ſepultus *ibid.* Tumuloque remus ipſius affixus *ibidem*. Hujusmodi Elpenoris tumulatio Circeiis & Ulyſſis ad id promontorium acceſſus fabula *ibidem* & 258. Quæ è Græcia advecta à Græcis priſci Latii accolis Circejo promontorio applicita fuit *ibidem*, & 259. Ejusdem tamen Elpenoris tumulus Circeiis erat 256. & ſeqq. Quo verò loci ſitus ex relatis opinionibus, incertum eſt 256. & 257. Circa illum myrti erant, quæ coronarii operis in modum creſcentes hominis exhibebant figuram *ibid.* & 258. Hæc myrtus prima fuit, quæ in Latio, & Italia appareret 257. *Vide* MYRTUS. Sacra Circejenſibus fuit *ibidem*. Elpenoris tumulus, remus, & myrtus hujusmodi religioſa fuerunt Circejenſibus 259. Eosdem Elpenori tamquam Heroi parentaſſe colligitur *ibid.* Elpenoris fabula, de qua Homerus, in templo Apollinis Delphici picta *ibid.* Eadem deſcribitur *ibid.*
EUTRYPYLI tumulus apud Patrenſes in Achaja religioſus 259. Apud illum parentalia anniverſaria fiebant *ibid.*

F

FABIA familia ab Hercule originem ducebat 3.
FABRORUM collegium Setiæ 59.
FAUNA ex Hercule Latinum genuiſſe narratur, à quo Latina gens nomen accepit 155.
FAUNUS dicitur primus, qui avos ſuos & ſuperiores Latii Reges colere docuit 25.
FAUSTINI villa ad Appiam viam 213. Illius ſitus *ibid.* Quis fuerit iſte Fauſtinus *ibid.* & 214.
FERENTINUM circumdant Fruſino, Verulæ, Anagnia, Signia, & caſtrum Fumonis 126. De alio Ferentino in monte Albano, qui locus nunc vulgò dicitur *la Fajola*, *ibid.*
FERONIA quænam Dea fuerit, referuntur diverſę opiniones 268. & 269. Fuiſſe Junonem probatur *ibid.* & 270. Dicta Feronia à ferendo, & quare *ibidem*. Libertini & Libertinæ plurimum hanc Deam colebant, & quare 264. Libertatis Dea dicta

dicta *ibidem*. Sacerdotes fœminæ illi miniſtrabant 266. Ejus ædes ad Appiam viam tribus mille paſſibus Terracina diſtans 212. & 260. Terracina tunc erat ſita in monte, cujus rudera apparent 262. Hujus ædis diſtantia à diverſis locis 212. & 260. In Pometino agro conſtructa 261. Dicitur ſita in Circejenſi 260. & 261. Pometini agri pars Circejenſibus adjudicatus fuit *ibid.* Statuitur etiam in Terracinenſi, ſeu Terracinæ 264. & 265. Ea Circejenſis agri pars ad Terracinenſes tranſiit *ibidem*. Quo loco ejusdem agri ſita 261. & 262. Regio, ubi fuit à Romanis dicebatur Faronia, à noſtris nunc dicitur *Farona*, veriùs *Ferona* 261. Condita à Laconibus, & qua occaſione *ibid.* Erat Deæ ſacer Fons 262. Eidemque ſacer Lacus *ibidem*. Lymphidium dicebant 263. Circumquaque Fanum Lucus Numini ſacer 262. Cùm fortuito arſiſſet incendio, ſubitò reviruiſſe jactabatur *ibidem*. Quare iſte Lucus ſacer Deæ factus *ibid.* & 263. In eo Arvales fratres ſacra faciebant *ibidem*. Depopulatio templi Feroniæ facta in receſſu Hannibalis *ibid.* & 264. Incertum eſt an illam paſſa fuerit hæc ædes, an altera in Sabinis, an alia in Capenatibus *ibid.* & 265. In hac æde Augures reſponſa dabant 263. In eadem ſervi libertate donabantur 264. Quomodò, & quibus cæremoniis hoc fieret *ibid.* & 265. In ea etiam addicti compedibus, & ergaſtulo Libertorum munia accipiebant *ibid.* Commune fuit hoc Fanum Latinis, Sabinisque *ibidem*. Ex hac vetuſtiſſima æde cultus Feroniæ in Sabinos propagatus *ibidem*. Aliarum mater, & caput fuit *ibidem*. Ejus Deæ ædes aliæ fuerunt, nempè una Septempedæ in Sabinis 266. Alia cum Luco ſub Soracte monte 266. & 267. Uno circiter milliario ab eodem diſtans *ibidem* & 268. Et in agro Capenate *ibid.* Ejus magna veſtigia apparent 267. Locus ille Lucus Feroniæ dictus *ibidem*. Corrigitur error Lib. I. Cap. IX. circa ædem Feroniæ in Soracte, & quare ille irrepſerit *ibid.* Mendoſum, ſeu erroneum oſtenditur quod legitur in Strabone, attribuente ſacrum Apollinis in Soracte Feroniæ *ibid.* De hoc ſacro *vide* APOLLINIS TEMPLUM. Alia Feroniæ ædes cum luco in Tuſcia 266. In loco, ubi eſt Petra-ſancta *ibid.* Alia apud Trebulam, ſeu Trebiam, ſeu Tribulam Mœtueſcam, ſeu Mutueſcam, in Sabinis *ibidem*, 267. & 268. Error Servii circa nomen Trebiæ *ibidem*. Hujus ædis magnificentiſſima rudera adhùc viſuntur 267. Hæc quoque Latinis, Sabinisque communis fuit *ibidem*. Et etiam à Lacedæmoniis condita *ibid.* Alia Feroniæ ædes ad Appiam viam inter portam Capenam, & primum lapidem 175.

Fi-

Fideles memores ſtationis habitæ à beato Paulo Apoſtolo apud forum Appii & tres Tabernas, Appiam viam toto illo ſpatio templis in honorem Apoſtolorum omnium locupletarunt 199.

Flauidiæ ſeu potiùs Aproniæ gentis monumentum ad duodecimum lapidem Appiæ viæ propè villam Pompeii 191.

Fons propè Setiam ſaluberrimus antiquitùs thermarum publicarum uſui addictus 7.

Fontis delubrum extrà portam Capenam 175. Ibi duo fontes, & primùm fontinalia ſacra quotannis agitata *ibid.*

Fora plura conſtituta exemplo fori Appii 93. Aliqua enumerantur *ibidem*. Fora habuerunt magiſtratus, dignitates, ſacerdotes, equitesque publicos quemadmodum Coloniæ 110.

Forum Appii. *Vide* Appii forum.

Fossa nova, locus in agro Privernati 44. Ibi eſt celeberrimum monaſterium Ciſtercienſis ordinis *ibid.* Ibi etiam ſanctus Thomas Aquinas obiit *ibid.*

Fulvia gens conſularis, & triumphalis 215. Alii illam faciunt Tuſculanam, quod reiicitur *ibidem* & 216. Alii Lanuvinam, quod pariter reiicitur *ibidem*, & 217. Alii Tiburtinam, & hoc non admittitur *ibid.* & 44. Setinam fuiſſe ex quibus probetur 215. & ſeqq. 219. & 229. Ad Herculis ætatem ſuam originem referebat 43. Sacrorum cura ab Hercule ei tradita & ubi 4. & 43. Herculi ſemper devota fuit *ibid.* & 218. Ejusdem templum Setiæ reſtauravit 36. De Fulviæ gentis dignitatibus & triumphis quis diſſeruerit 219. & 220. Quando Romam venerit *ibidem*. Quando illius Romæ notitia apparuerit *ibidem*. Plures viri illuſtres ex eadem gente & ex Petinis, Centumalis, Nobilioribus, & Flaccis ex illa ortis referuntur 220. & ſequentib. Ex eadem fuerunt Macrinianus uterque, & Quietus Imperatores 43. 218. & 225. *Vide* Macrinianorum familia. Antiqui Fulviam Foulviam ſcribebant 36. Plerisque Fulviæ, & Anniæ gentis fuit Setini cognomen 229.

G

Gallieni Imperatoris, & Severi Cæſaris monumentum ad Appiam viam 186.

Genius erat qui credebatur pueros genitos ſuſcipere & tueri 274. Quid lapidi inſculptum, ut dedicationi factæ eidem & Proſæ Deæ Numini parientium alluderetur *ibid.*

Gothi, ubi Vitigin Regem elegerint 118. 121. & 211.

Græci priſci Latii cultores palæſtræ, curſus, & diſci artes illùc tranſuexerunt 34.

H

Helvidii Priſci villa ad Appiam viam inter ædem Feroniæ,

roniæ, & Terracinam 213. Ejus laudes *ibid.*

Herculis in Latium adventus comprobatur 2. 3. & 45. Magnum poculum ligneum secum tulit, quo uteretur in sacris 47. Familias in Latio propagavit 3. Latinum Regem Latii filium habuit *ibidem* & 155. Auctor Coloniæ Setinæ 2. & seqq. Et Coloniæ Pompejorum in Campania 3. Plures in Latio atque in Italia condidit urbes *ibid.* Saturni aram erexit in colle Capitolino 2. Ipse, aut ejus comites ædem ejusdem Saturni condiderunt, ubi Roma fuit 3. & 21. Patri seu Jovi inventori aram posuit propè speluncam Caci 2. Latini, Romani, Italique universi devotos Herculi sese fecerunt & quare 3. Nulla ferè erat in Latio urbs, quæ Herculis æde sacra careret *ibid.* Ejusdem monitu immutatum sacrum, quo Saturno humanæ victimæ immolabantur 34.

Herculis templa in diversis Latii urbibus erecta enumerantur 3. Ara eidem ab Evandro erecta Ara Maxima appellata 2. *Vide* Ara Maxima. Fanum Herculis Musarum extructum à M. Fulvio Nobiliore 43. In eo Musarum signa posuit ex Ambracia translata *ibid.* Hercules ædem sibi Setiæ constituit 4. Templum Herculis Setiæ insignis structuræ 35. Ubi situm *ibid.* Penè medietatem recentis urbis Setinæ occupabat *ibid.* Tres ambitus habebat, qui describuntur, & quibus locis nunc respondeant *ibidem*, & 36. Ampliatum, & restauratum à Fulvia gente *ibidem.* Quomodò in hoc templo sacrificaretur 45. & sequentibus. In eo Salii ministrabant 48. Hercules suis sacris Romæ præfecit Pinarium, & Potitium 3. & 43. Et Setiæ auctores Fulviæ familiæ 4. & 43. Latini prisci, cæteræque gentes in factis Herculis ritus ab ipso dictatos religiosè servabant 48. Iidem Latini Herculi Salios adsignaverunt *ibid.* Quos ritus isti servarent 49. In Herculis convivio quotannis exhibebatur Romæ poculum, quo ebibisse ferebatur 3. Quomodò Herculis simulacrum effingeretur & quare 45. Ejus aræ populi arboris frondibus ornabantur, & quare *ibid.* Bos perpetuus Herculis quisnam esset, & quare ità diceretur *ibid.* 46. & 48. Ex qua vite deberet esse vinum, quod supra exta bovis sacrificati spargebatur 46. Qui rem divinam ei faciebat, alium Deorum appellabat neminem *ibid.* Canes pellebantur à templis, & urbibus eo die, quo in illis Herculi sacrificabatur, & quare *ibidem.* Quæ personæ ejus sacris adstare non possent, & de fœminis quare *ibid.* & 47. In illius ædibus sacra fiebant aperto capite, & quare *ibid.* & 48. Mane & vesperi eodem die illi litatum *ibidem.* Quid servatum cum in Herculis sacris epularentur 47. Libantes Herculi nihil in calice

vini

vini relinquebant, & quare *ibidem*. Afferre illi ſoli licebat omnia eſculenta, & poculenta 48. In Latio ei fructuum decima vovebatur, quod auſpicatiſſimum, & fortunatiſſimum ducebatur, & quare *ibid*. Ex illa guſtabant tantùm ſacerdotes, ædisque miniſtri, & quare *ibid*. Apud Lindum inter ſacrificandum Herculi non benedictis, ſed maledictis utebantur, & quare *ibid*.

HERCULEUS portus in Italia inter Pompejos, & Neapolim 3. Cur ità dictus *ibid*.

HEROUM apud ſepulcrũ Græci iisdẽ parentare conſueverunt 259. Referuntur exempla *ibid*. & 260

HIRPINEJA gens Setia oriunda 235. In agro Setino villam habuit 163. Ejusdem ſepulcra in via Setina 209.

HONORI, Virtuti, & Tempeſtati ædes dedicavit M. Marcellus ad Appiam viam propè ſuæ gentis monumentum 175. Eas ornavit ſignis, tabulisque; quibus abundabant Syracuſæ, *ibidem*. Ejus artificioſa inſcriptio, qua avi, patris, & ſuos conſulatus cumulavit *ibid*.

HORATIÆ tergeminorum ſororis ſepulcrum ad Appiam viam 184. Quoto lapide ejusdem viæ ſitum *ibidem*. Cur à fratre confoſſa *ibid*. Sepulta quo loco corruerat icta *ibid*.

HORATIORUM ſepulcrum. *Vide* CLOELIÆ FOSSÆ.

HORTENSIÆ familiæ ſepulcrum inter tertium, & quintum lapidem Appiæ viæ 183.

I

JANUS in Latio primus æra ſignavit 23. Quomodo in eis Saturni memoriam propagaverit *ibid*. Ab eodem Janiculum vel dictum vel conditum 21. Regni ſocietate Saturnum donavit, & quare 23. Jano in omnibus ſacrificis præfari ſolitum, præterquam in illis Herculis 46.

JOSEPHI RENATI Imperialis Cardinalis laudes, decreta, & geſta pro exſiccatione Pomptinarum paludum 144.

Jovis Inventoris ara poſita ab Hercule apud portam Trigeminam propè ſpeluncam Caci 2. Ibi ritu Græcanico ex ejusdem Herculis inſtituto ſacra fiebant *ibid*. Jovi Capitolino templum vovit Tarquinius Priſcus 80. Illius fundamenta jecit Tarquinius Superbus ex Sueſſæ Pometiæ ſpoliis *ibid*. Jovis Anxuris, ſeu Axuris templum conſtructum in monte, ubi tunc erat Terracina 262. Nempè Jovis pueri & imberbis *ibidem*, & 270.

ITALIA cognominata fuit Saturnia, & quare 22. Etiam Oenotria *ibid*. Etiam Auſonia & quare 69.

JULIÆ gentis monumenta non procul à Bovillis inter nonum & decimum lapidem Appiæ viæ 187. Illis proximum ejusdem gentis ſacrarium Tiberii Imperio conſtructum *ibid*. & 188. Loca, in quibus ejus proceribus effigies ſacratæ 187. Sacrario

crario proximus Circus, ubi quotannis in ejus gentis honorem feſtæ ſolemnitates agitabantur 188. Ejusdem, ſeu T. Julii Pætini Baſſiani magnifica villa inter Setinos, & Lepinos montes 161. & 162. In loco, ubi ſitum recens caſtrum Baſſiani 161. Ejusdem gentis fuerunt Baſſiani, atque Burſiones 162. Alia Juliæ gentis monumenta ad Appiam viam inter Feroniæ ædem, & Terracinam 212. Juliæ gentis libertorum ſepulcra ad Appiam viam non procul à porta Capena 180.

Junonis Argolicæ, ſive Soſpitæ nemus, ubi draconis erat antrum, quo loci Appiæ viæ fuerit 194. Et ædes Deæ ſacrata *ibid*. Eadem ac Feronia 268. & 269. Junonis triplex epitheton *ibidem*. Juno virgo, quæ Feronia dicebatur, ubi culta 262. & 269.

L

Lacus etiam dicebantur loca, in quibus vivi piſces coercebantur 271.

Lanuvinorum illuſtres ædes, aut forum ad Appiam viam 195. Ibi res venales tranſeuntibus per eamdem viam vendebantur *ibid.*

Latinæ gentis Deorum genealogia ferè omnis fabuloſa, cultus tamen verus 24. Latini in omnibus penè ſacris ex Æneæ inſtituto capita velabant 26. Saturno tamen apertis capitibus ſupplicabatur, & quare *ibidem*. Item in ſacris Herculis 47. Cur apud Græcos percrebuerit fama Latinos priſcos veneficiorum peritiſſimos 253.

Latinis feriis in Albano monte Jovi Latiali pro ſalute Romani, & Latini populi quotannis ſacra fiebant 225. Eisdem feriis præfectus Urbi conſtituebatur, & quare *ibid.*

Latinus Latii Rex Herculis filius 3. & 155. Ab illo Latina gens nomen accepit *ibid.*

Latium ità dictum, quia in ea provincia Saturnus latuerat 20. Fuit etiam dictum Auſonia, & quare 71.

Laurentum ſacra omnium antiquiſſima in Latio 246.

Legionum Romanarum Primani, Secundani, Tertiani, & ſic deinceps, quinam dicerentur, rejecta alia opinione explicatur 109. & 110.

Liberi Patris templum fori Appii 111. & 211. Et jure quidem optimo, & quare 111. Liberalium die, quo Baccho, ſeu Libero Patri ſacra fiebant, qui ritus ſervarentur *ibid.* & 112. Anus pro Emptore ſacrificantes 111. Bacchi cultus in Latio, ad quos referendus 112. Eidem caper immolabatur, & quare *ibidem*, & 113. Item lepus, & quare *ibid.* Liber pater emere, & vendere inſtituit 111. Emptorùm tutelare Numen *ibid.* Hoc templum à Foro-appienſibus ſacratus fuit Deiparæ, 211.

Licinia gens villam insignem habuit in agro Circejensi 270. Sita ubi nunc lacus Fogliani *ibid.* & 271. Non ibi tamen fuerunt Lucullorum deliciæ, sed L. Licinii Murænæ magnificum rus *ibid.* Dictus Muræna à pisce ejus nomine, & quare 271. Ibi piscina, quæ maris, & fluvialibus aquis abluebatur *ibid.* Ibi vivarium murænarum *ibid.* Rudera priscorum ædificiorum ostendunt villæ magnificentiam *ibidem*. Hodie etiam ibi est nobilis piscina *ibidem*. Locus ille perquàm insignis tempore Romanorum 272. Etiam nunc piscationis, aucupii, & venationis deliciis affluit 271. & 272. In eadem villa turres, quas posteritas *Turres albas* vocavit *ibid.* An ex hac piscina, an ex altera Cæsar habuerit ex murænarum millia, quas una cœna exhibuit *ibid.* Liciniæ gentis monumentum ad Appiam viam in loco, qui dicitur Caput bovis 177. & 178.

Ligorius Pyrrhus architectus Cardinalis Pii Ferrarienſis 163. Illius opera in perquirendis veterum rerum monumentis *ibidem* & 164. De ejusdem scriptis judicium *ibid.*

Literarum notas ad celeritatem scribendi, qui excogitaverint 157. & 158.

Livii Odescalchi Principis gesta, & impensæ pro exsiccatione Pomptinarum paludum 144. & 145.

Longula oppidum Volscorum, sed intrà fines priscorum Latinorum 89. In Pomptina palude positum 123. Veriùs in Ametino agro 128. Quomodò Pometini agri denominatio accipiatur 123. & 124. Quo loci situm 89. Ubinam in paludibus rudera antiquæ urbis submersa visuntur *ibid.*

Lucilia familia illustris Pometia oriunda 83. Illam Patriciam alii faciunt 84. Alii verò Plebejam, Senatoriam tamen *ibid.* Secundum alios & Patricia fuit, & aliæ Plebejæ *ibid.* Ex Patricia, vel equestri natus est C. Lucilius poeta *ibidem*, de quo *vide* Cajus Lucillus poeta. Ex Plebeja Longi, Capitones, Balbi, Blæsi, & Rufi 85. Ex quibus nonnulli viri memorabiles referuntur 84. & seqq.

Lucius Clodianus Madiitianus Theodosii Imperatoris libertus 163. Villam habuit in agro Setino *ibid.*

L. Licinius Muræna. *Vide* Liciniæ gentis villa.

M

Macrinianorum familia à Macrinianis Imperatoribus originem ducit, qui ex Fulvia gente fuerunt 225. Quietus etiam Imperator ex eadem ortus. A quo victi & occisi *ibid.* Ex hac familia superstites Alexandri Magni imagine in omnibus ornamentis, & poculis utebantur *ibid.*

Manalis lapis juxtà ædem Martis extramuranei ad Appiam

viam 176. Hunc ſolemniter in Urbem deferre ſolebant Sacerdotes ad aquam pluviam petendam *ibid.* & 117. Hin Manalis dictus *ibid.*

Mancipia ſui juris facta catenas, anulosque ferreos Saturno ſuſpendebant, & quare 27.

Marci Pontii Celſi præfecti Urbis rus ad decimumtertium lapidem Appiæ viæ 192.

Marci Tarcheitis equitis Romani villa ad decimumtertiū lapidem Appiæ viæ 192. Statua Æſculapii nobilis ſtructuræ ibi effoſſa *ibid.* Item baſis marmorea, in qua ſculpta omnia Bacchi geſta *ibid.*

Martis fanum Setiæ 49. Et Saliorum collegium *ibidem*. Qui Martis ſacra cum ancylibus faciebant 50. *Vide* Salii. Aliud Martis delubrum dictum Martis Extramuranei, & bellatoris, vel Gradivi ad Appiam viam 176. Quo loco ejusdem viæ ſitum *ibid.* A Sulla felice reſtitutum, ac ſupra centum columnas poſitum *ibid.* In eo cuſtoditum ancyle Martis, quod è cœlo delapſum jactabatur *ibidem*; de quo tamen conſulendus Liber I. Cap. XXII. hujus operis *ibid.*

Medias, ſeu ad Medias ſic nuncupabant diverſorium clari nominis ad Appiam viam diſtans ab Appii foro novem milliariis 63. 66. 94. & 173.

Menæcei Creontis filium, qui ſe ipſum cultro occiderat, tumulus Thebis 258. Ad quem Malus punica, cujus poma rupto exteriore cortice ſanguinem oſtendebant *ibid.* Hanc ſacram Thebani habebant, & quare *ibid.*

Meneniæ familiæ ſepulcrum inter tertium, & quintum lapidem Appiæ viæ 183.

Mercurii aqua in valle Ægeriæ 179. In loco vulgò nuncupato *la Caffarella*, *ibidem*. Hac ſe invicem aſpergebant Mercuriū invocantes *ibid.* Hac luſtratione perjuria dilui opinabantur *ibid.* Mercatores maximè, qui ità uberes quæſtus facere credebant *ibidem*. Quid in eo loco dicto *la Caffarella* Romani ad noſtram uſque ætatem faciant *ibid.*

Meturgia gens Setina fuit 235.

Mæcenas Romæ, & in Italia calidarum natationem primus inſtituit 160. Primus cœcubas vites in Pomptinum tranſtulit 159. Ipſe ſeu Aquila ejus libertus ad celeritatem ſcribendi notas quasdam literarum excogitavit 157. & 158. Quàm familiaris Auguſti fuerit 161. Quem ſcripſit heredem 160. Villam habuit in Setino agro 157. Quo loci ſita *ibidem*, & ſeqq. Thermæ ibi nobiles 159. Quarum fabrica ex illarum ruderibus deſcribitur 160. Et proximi fontes aquarum, quorum unus ſulphureus *ibidem*. Quàm magnifica, amæna, & latè patens fuerit *ibid.*

Mæcenatia vina an dicta fuerint à rure Setino Mæcenatis, an à regione, ſeu oppido, cui nomen

men Mæcenas 159.
Mucamites urbs inter Antium, & Longulam 125. Sita in Pomptino agro 124. Non in Pomptina palude 128. Quomodò Pometini agri amplitudo accipiatur 123. & 124.
Mugilla urbs inter Setiam & Coram in jugo Lepinorum montium 124. Et in Pomptino *ibid.* Non in Pomptina palude 128. Quomodò Pometini agri denominatio accipiatur 123. & 124.
Murænarum vivarium habuit C. Hirtius in ſua villa 272. Ab hoc, an ab alio L. Licinii emerit Cæſar ſex murænarum millia, quas una cœna Africano triumpho exhibuit *ibid.*
Myrtus arbor Circeiis ad Elpenoris ſepulcrum ſata 257. Sacra Circejenſibus *ibidem*, & 258. Prima fuit, quæ in Latio, & Italia apparuerit *ibid.* Undè advecta 257. Græcum ei nomen remanſit *ibidem.* Ex illius ramis plantatis Romæ antè ædes Quirini duæ myrti natæ Romanis ſacræ *ibid.* Una Plebeja, altera Patricia dicebatur *ibid.* Ex illis Quirites augurabantur proſpera & adverſa, & quomodò, *ibid.*

N

Neoptolemi Achillis filii ſepulcrum Delphis, apud quod anniverſaria ſacra fiebant 260.
Neronis ciſterna ad Appiam viam 199. Quoto lapide ejusdem viæ ſita *ibidem*. Inter Sirminetum, & Velitras 116. & 117. Erroneum eſt Neronem ibi delituiſſe, & ideò ſic dictam 117. & 199. Quæ vera hujus nuncupationis cauſa credatur 117. Ibi nunc oppidum nuncupatum *Ciſterna* 116. 117. & 199. *Vide* Cisternæ oppidum.
Neronis foſſa eadem ac Auguſti fossa 115. *Vide* Augusti fossa. Eam Nero longitudine, ac latitudine ampliavit *ibidem.* Ideò ab ejus nomine nuncupatam *ibid.* Eam ab æde Feroniæ in agro Circejenſi Ciſternam uſque duxit 116. Qui locus Ciſterna Neronis eſt appellatus, & quare 117. Novam etiam foſſam fodit, quæ Auguſti foſſæ exciperet aquas *ibid.* Per quæ loca hæc ducta fuerit *ibidem*. Nunc ab accolis *Fiume vecchio* dicitur *ibid.* Cujus longitudinis, & latitudinis foſſam ab Averno Oſtiam uſque ducere meditaretur 115.
Nerva Coccejus Imperator Appiam viam metis milliariis diſtinxit, columnas ponendo 105. Aliquæ ex his columnis deſcribuntur 97. & 98.
Norba colonia Romana 11. In jugo Lepinorum montium ſita 126. Sita etiam dicitur in Pomptino 124. Nempè in Pometino agro 128. Quomodò Pometini agri amplitudo accipiatur 123. & 124.
Nummus quomodò impreſſus à C. Sulpicio Platorino, ut ſuæ gentis originem innueret 228. & 229. Nummi quomodò expreſſi

à T. Annio, ut ſignificaret annonæ abundantiam, quam procuraverat 230. Numismata quomodò cuſa à Pomponio Muſa, ut & ſponſæ familiæ alluderet 152. Æra quomodò à Jano ſignata in Saturni reverentiam, & memoriam 23.

NYMPHÆ amnis, aliorumque fluviorum Pomptinorum curſus immutatus 137. & 138. *Vide* POMPTINA PALUS.

O

OCTAVIÆ gentis villa ad Appiam viam 196.

OPIS Saturni conjux 26. In omnibus Saturni ædibus colebatur *ibid.* Fœminæ eidem Deæ ſacra faciebant *ibid.* Illius ædicula in templo Setino Saturni profugi 25. & 26. Inter ſacra Saturni pro Opi Latiam Saturni proferre ſacrificulus cogebatur *ibid.*

ORA tota maritima Latii Præneſtem uſque Marii filii partes ſecuta fuit 18.

ORATA piſcis ſic appellatus à colore auri 273. *Vide* SERGIUS ORATA.

OSTILIÆ familiæ ſepulcrum inter tertium & quintum lapidem Appiæ viæ 183.

OTHONIS Imperatoris villa ad Appiam viam 198. Ubi ſita *ibid.* In ea idem Imperator funeratus eſt *ibid.* Quomodò ſe ipſum occiderit *ibid.*

OVIS aut intonſa, aut priusquàm peperiſſet, ne mactaretur edicto cautum erat in priſco Latio 46.

P

PALPELIÆ gentis ſepulcra in via Setina 209.

PAPIA gens Lanuvina 226. Ex eadem fuit Milo, ſed à C. Annio adoptatus illius nomen accepit *ibid.*

PAUSANIÆ, & Leonidæ monimenta Spartæ, ad quæ quotannis orationes habebantur, ludique fiebant 260.

PELOPIS Herois in tumulo Elei quolibet menſe ſacra fiebant 259. Qui ritus ſervarentur *ibid.* Qui præeſſent iis ſacris *ibid.*

PENELOPES Ulyſſis uxoris ſepulcrum in vico Arcadiæ, quem Ladas appellant 254. Eidem quotannis uti Semideæ parentabant *ibid.*

PENTADORON antiqui dicebant genus laterum 7. Eorum menſura & uſus *ibid.*

PETRONIÆ familiæ monumentum ad Appiam viam inter portam Capenam, & ſecundum lapidem 181.

PHEDRÆ, & Hippolyti ſepulcrum apud delubrum Veneris ſpeculatricis 258. Myrtus ibi ſacra terebratis foliis, & quare *ibid.*

PICI antiquiſſimi Latii Regis in avem mutati à Circe fabula 246. & 247.

PIONIA Herois apud tumulum parentalia fiebant in Myſiæ urbe Pionia 259.

PISCINÆ dicebantur loca, in quibus vivi piſces coercebantur 271.

PLUTONI, Proſerpinæ, ac Deæ viarum præſidi ſacellum ad Appiam viam lapide tertio 182. Ejus ornatus *ibid.*

POETIS ne quemquam nominatim carpere liceret, lex Romæ lata 84.

POLUSCA, dicta etiam Poluſtia, ſed veriùs Poluſca priſcorum Latinorum urbs 89. In agro Pomptino fuit *ibid.* Et in Pomptina palude 123. Sed veriùs in Pometino agro 128. Dicitur etiam ſita in agro Setino, & quare 91. Longulæ contermina 90. Et non procul à Setia 92. Quo loci ſita fuerit, referuntur diverſæ opiniones 91. & 92. Sed ſitus ignotus eſt *ibidem*. Ab eadem dictus eſt Poluſcanus ager, Poluſcani populi, & pars Pomptinæ paludis Poluſcana 89 Capta à Romanis 90. Item à Marcio Coriolano Volſcorum duce *ibid.*

POMETIA Nympha ad Ufentem tamquàm Apollinis conjux culta 83.

POMETIA vetuſtiſſima Albanorum colonia everſa, Pometini commearunt Sueſſam proximam, & in Pomptino, & Latinorum agro ſitam 72. & 76. Quæ deindè Sueſſa Pometia, Sueſſa, Pometia, & Sueſſa Pometina appellata fuit *ibid.* *Vide* SUESSA POMETIA.

POMPTINA familia illuſtris, Sueſſa Pometia, ſeu Pometia oriunda 83. Ab illa, non à Pontia Inſula ſic appellata *ibid.* Plebeja fuit, & tribunatus plebis honore pluriès Romæ ornata, ex illa C. Pomptinius, qui triumphavit *ibid.* & 84.

POMPTINA palus, ſeu Pomptinæ Paludes quo tempore fuerit etiam vocata Palus Decennovii, & quare 137. In eadem fuiſſe vigintitres urbes proditum fuit 123. Erroneum eſt, & intelligendum de Pometino agro 128 Quomodo Pometini agri denominatio accipiatur 123. & 124. Pomptinarum paludum antiqua extenſio 123. 124. 129. & 130. Earumdem recens extenſio 128. 129. & 130. Illarum ſitus Romanorum tempore longè, latèque minor, quàm præſens 129. & 130. Has paludes primus omnium ſiccaſſe dicitur Appius Claudius Cœcus 130. Poſt lapſum annorum ferè centumtriginta iterùm eas ſiccavit Cornelius Cethegus *ibid.* Deindè Cæſar earumdem exſiccationem aggreſſus eſt 131. Quam tandem Auguſtus perfecit *ibid.* Foſſa, aggeres, aliaque opera propter hoc facta ad continendas fluminum aquas, & paluſtres derivandas *ibid.* & 132. Ex paludibus exſiccatis privatum agrum ſibi fecit 133. Hæ exſiccatæ manſerunt ſpatio trecentorum & plurium annorum *ibidem*. Quid facerent Romani, ut hos campos exſiccatos conſervarent *ibidem*. *Vide* POMPTINI FLUVII. Regnante Theodorico Gothorũ Rege Cæcilius Decius Maurus Baſilius privata manu haſce paludes exſiccavit 134. & ſeqq. Terrarum ſpatium eidem propter

pter hoc assignatum 135. & & 136. Hujus operis memoria Terracinæ *ibid.* Qua de causa Pomptini campi denuò pristinam illuviem passi fuerint 137. Nymphæi amnis, aliorumque quorumdam Pomptinorum fluviorum cursus quo tempore immutatus *ibid.* & 138. Ex hoc Setini aquis obnoxii suam causam agunt *ibidem* & sequentib. Propter hujusmodi fluviorum cursum immutatum, & propter diversas aquarum Pomptinarum derivationes lites, & dissensiones inter Setinos, & Sirminetanos *ibid.* Quin & civilia bella 141. Ordinationes, visitationes, & opera ad hujusmodi lites componendas Sixtus V. Pomptinas paludes iterùm siccavit, & opera propter hoc facta 142. Cur posteà exsiccati campi stagnantes aquas subjerint *ibidem*. Eorum tamen pars diutiùs culta mansit *ibidem* & 143. Successivæ lites inter Setinos, & Sirminetanos, & quare, & decreta ad illas componendas *ibidem* & 144. Inundatio Setini agri 143. Princeps Livius Odescalcus sub INNOCENTIO XII. & CLEMENTE XI. harum paludum exsiccationem aggressus est 144. & 145. Impensæ, & opera hùc usque facta *ibid.* Monitum pro exsiccatione paludis, & conservatione agri Setini 145.

POMPTINA, seu Pometina, vel Pontina tribus, non à Pontia insula, sed à Pometia, seu Suessa Pometinorum dicta 75. 79. & 83. Quo tempore addita 13. & 75. Quinam in illam conjecti fuerint *ibid.*

POMPTINI fluvii purgandi locabantur à Romanis 133. Tardi sunt, multamque herbam palustrem pariunt *ibidem* & 134. Ex hoc agrorum inundationes, & navium cursui impedimenta *ibid.* Quomodo ab hisce herbis nunc purgentur *ibid*. Ex hoc utilitas, & inutilitas *ibidem*. Nymphæi amnis, aliorumque quorumdam fluviorum diversis temporibus diversus cursus describitur 137. & seqq.

POMETINUS, seu Pomptinus ager, non à Pontia insula, sed à Pometia, seu Suessa Pometinorum dictus 75. & 79. In Pomptino agro, non verò in Pomptina palude vigintitres urbes fuisse intelligendum est 123. & 128. Quænam fuerint hæ urbes 123. & seqq. Quomodo ibi Pometini agri denominatio accipiatur 123. & 124. Quanta populi Romani cupiditate Pometinus ager divisus fuerit 79. Devastata Pometia, & dein Suessa Pometia, is ager Circejensibus, & Setinis adjudicatus 261. Pometini agri denominatio magis & minùs latè patens *ibid.* Partem agri dirutarum urbium, quæ fuerant in Pomptino Setini sortiti sunt 91.

POMONA. *Vide* CANENS.

POMONAL ità nuncupata ædes sacra Pomonæ, seu Canentis 247.

POMPEI rus ad Appiam viam 191. In ejus situ conditum Albanum oppidulum *ibidem*. In ea villa erant

erant ſepulcra Pompejorum *ibidem*. Et præſertim Pompei Magni *ibid.* Cujus reliquiæ ex Aſia Romam relatæ ibi tumulatæ *ibid.* Quo loci illud ſitum fuerit *ibid.*

Pompeii populi in Campania curità denominati 3. Coloniæ auctorem Herculem ajebant *ibid.*

Ponteja gens equeſtra Setina fuit 234. & 235.

Pons antiqui operis ad quadrageſimumprimum lapidem Appiæ viæ propè turrim Petratam 202. Illius clariſſima veſtigia *ibidem*. In foſſa Auguſti, quam *Cavatam* vulgus appellat *ibid.*

Pontes tres cum turri ejus nominis ad triceſimumnonum lapidem Appiæ viæ 201. Opus Trajani, & ad quem uſum *ibid.* Eorumdem longitudo, latitudo, & ſtructura *ibid.* Ad quid turris inſerviret *ibid.*

Pontia inſula in conſpectu litoris Volſci 74. & 75. Illam Volſci incoluerunt 74. Colonia deducta fuit, & quando *ibid.*

Pontiæ familiæ monumentum inter tertium & quintum lapidem Appiæ viæ 183.

Porca Cereri immolabatur, & quare 113.

Potitiorum, & Pinariorum familiæ ſacerdotio decoratæ ab Hercule 3. & 43. Ut ejusdem ſacris Romæ præeſſent *ibidem*. Pinario, & familiæ ab eodem Hercule interdictum ad ſacras epulas convenire, & quare 48.

Præfectus Ægypti Imperatorum ætate vocabatur Auguſtalis, & quare 52. & 55.

Privernum urbs ſita in Pomptina palude 123. Sed veriùs in Pometino agro 128. Quomodò Pometini agri denominatio accipiatur 123. & 124. Rebellans à Romanis capitur 16. Iterùm deficit à Romanis & capitur, ejusque muri dejiciuntur *ibid.* Illius Senatus indè abductus, & trans Tiberim habitare juſſus *ibidem*. Quare L. Æmilio Mamerco cognomen Privernas 17. Senatus Romanus legati Privernatis reſponſo motus, eos populos & venia & civitate dignos judicavit 16.

Procilia gens Romæ plebeja nobiles geſſit magiſtratus 274. Villam habuit in agro Circejenſi 273.

Procis fundus ſic dictus ad ſecundum lapidem Appiæ viæ 182.

Prosa Dea Numen parientium 274. Quid lapidi inſculptum, ut alluderent dedicationi factæ eidem & Genio, quem credebant pueros genitos ſuſcipere ac tueri *ibidem*.

Q

Quartumviratus magiſtratus 110.

Q. Sanctii Nictei villa in agro Circejenſi 274. Statuæ marmoreæ inſignis ſtructuræ ibi repertæ *ibid.* Quid repræſentarent, & cui fabulæ alluderent *ibid.*

Quintiliæ gentis monumenta ad ſecundum lapidem Appiæ viæ 182.

R

REGETA locus ad Appiam viam 211. Quantum Roma distaret 119. & 120. Quot ibi stadia computentur in singula milliaria *ibid*. Proximus erat Ufenti 119. Ubi situs 120. & 121. Habebat circumquaque planitiem, quam vocabant *Campos Barbaricos* 121. *Vide* BARBARICI CAMPI. Visuntur in eo situ sparsa rudera antiqui oppidi *ibid.*

RETARE flumina idem est ac illa purgare 133. Hujus verbi etymologia *ibid.*

RICINIÆ familiæ monumenta ad decimum septimum lapidem Appiæ viæ 194.

RIDICULI templum ad secundum lapidem Appiæ viæ 182. Cur ità dictum *ibid.*

ROMANI proceres municipia evulgabant, e quibus originem ducebant 219. Romanorum mos fuit, ut nobilissimas familias, virosque, qui egregiis factis claruerant, licèt hostes essent, cives suos facerent, & ad dignitates evocarent 227. & 228. Referuntur exempla *ibidem*, Romanæ gentes ex Latii & Sabinorum municipiis ortæ ostentabant in nummis originem suam *ibid.* Romanorum plures gentes plebejæ à coloniis ortæ, & civitate Romana donatæ in fastis describebantur cum cognomine à patria desumpto 229. Romanorum gentium aliquæ cognomen sibi adsciverunt vel à populis, de quibus progenitores triumphaverant, vel urbibus, quas ii expugnaverant *ibid.*

S

SALII à Latinis priscis Herculi adsignati antequam Roma conderetur 48. Romæ Salii Martis, & Herculis sacris operabantur 49. Ritus, quos Salii Herculi sacrati servabant *ibid.* Saliorum Sacerdotum Martis collegia universo Latio vetustissima *ibid.* Quomodo ei Deo sacrificarent *ibid.* Quis id Sacerdotium transvexerit in Latina litora *ibid.* & 50. M. Nomeicius Salius Martialis cur Capulatus vocatus in lapide 48. & 49.

SALLIA familia villam habuit in agro Setino 163. Quo loci sita fuerit *ibidem*. Ejusdem gentis sepulcra in via Setina 210.

SALLUSTIÆ gentis sepulcrum ad Appiam viam 195.

SATRICUM urbs in planitie inter Antium, & Velitras 125. In Pomptina palude sita 123. Veriùs in Pometino agro 128.

SATURNUS, qui & Abirides Cretensium Rex in Latium venit, quod probatur 20. & seqq. Filii iram fugiens in colle Setino primum delituit 20. 24. & 125. Ab hujusmodi latebra Latium nomen accepit 20. 21. & 22. Ab eo Italia cognominata Saturnia 22. Capitolinus, seu

seu Tarpejus mons, dictus Saturnius 21. Parva urbs in eo monte extructa, appellata Saturnia *ibidem* & 22. Roma dicta est Saturnia 23. In Saturnio colle primùm non delituit 24. A Jano hospitio exceptus 21. 23. & 24. Quem edocet peritiam ruris 23. In Regni societatem receptus *ibid.* in dicto Saturnio colle non procul à Janiculo regnavit 24. Agrorum culturæ præsidere dicebatur 26. Ærariis & quare 22. & 29. Latina gens eum Pici patrem affirmabat 24. Stercutium, sive Stercen dicebat, & quare *ibid.* An Juppiter Saturnum patrem vinculis exemerit, an eum compedibus vinxerit 27. Verusne, an fabulosus Saturni in Latium adventus, quis verus fuerit cultus hujus falsi Dei 24.

SATURNI Profugi templum vetustissimum Setiæ 20. Quo loci situm *ibid.* & 25. Illius prospectus *ibidem*. Ex illius ruderibus admirabilis structura, magnificentia, & immensa moles apparent 20. & 25. Universi Latii opus esse videtur *ibid.* Eo loco extructum, & sic nuncupatum, quia ibi Saturnus in Latium fugiens delituerat 20. Quo tempore, & à quo positum 25. Ibi ab Hercule, aut ejus comitibus ara Saturno consecrata, ubi posteà hujusmodi sumptuosissimi operis templum extructum *ibid.* Nulla alia in toto Latio ædes Saturno Profugo sacrata 20. Fuit & Saturni ara ab Hercule erecta in colle Capitolino, ubi ex ejusdem instituto sacrificabatur 2. Herculi comites in Saturni honore ædem, & ærarium condiderut, ubi fuit Roma 3. & 21. Eidem templa & delubra in toto ubique Latio erecta *ibid.*

SATURNO mensis integer à Latinis dicatus 23. In illius honorem, & memoriam æra à Jano signata, & quomodò *ibid.* Sacerdotes, & flamines eidem adsignati 21. Sacerdotes, qui Vates, & Faunii dicebantur, & quare 26. Ad quem Saturni cultus referatur. Ritus in Saturni sacris 26. Saturni simulacrum quomodo formaretur *ibid.* Statua Saturni in compedibus, laneoque vinculo alligata, diebus ei festis exceptis *ibid.* & 27. Eidem à priscis Latinis humanæ victimæ immolabantur 34. A quibus hoc immane sacrum invectum *ibid.* Quomodo fieret *ibid.* Herculis monitu immutatum *ibid.* Saturnus & Dis præcipua Numina descendentium in arenam *ibid.* Eidem Saturno Setiæ ludi acti 33. & 34.

SCIPIONUM, & Corneliæ gentis monumentum ad Appiam viam inter portam Capenam, & secundum lapidem 180. In eo Ennius poeta statuam sibi posuit *ibid.* Fuit, & ibi conditus Archias poeta *ibid.* An ibi vel Linterni sepultus fuerit P. Scipio Africanus *ibidem*.

SCIPIONIS Africani prioris manu satæ olivæ in Linternino religiosæ 258. Item myrtus, sub

qua manes ejus custodivisse draconem putabant *ibidem*.

Scutiæ gentis monumentum, quo loci ad Appiam viam 212.

Sejani villa insignis ubi fuerit 128. & 130.

Septizonium, seu Septizolium, nempè sepulcrum, quod sibi Severus ornaverat 174. In eo Imperatorum cineres condebantur *ibid.* Insignis structuræ opus, quod specie Septizonii fuerat extructnm *ibidem*. Fuit in Appia via *ibidem*. Et ab illo principium habebat eadem Appia via 164.

Sergiæ familiæ sepulcrum inter tertium, & quintum lapidem Appiæ viæ 183.

Sergii Galbæ Imperatoris villa propè Terracinam 214. Sita eo loco, qui vocitatur *il Palazzo de' Paladini*, *ibid.* Ubi ingentis villæ reliquiæ apparent *ibidem*. In ea idem Imperator natus *ibidem*.

Sergius Orata, sic dictus, quia in piscina oratas pisces coercebat 272. Reiicitur alia causa hujus denominationis 273. Primùs balneas pensiles habuit *ibidem*. Primùs ostrearia in Bajano locavit, ostreisque Lucrinis optimum saporem adjudicavit *ibid.* Villam & piscinam habuit in agro Circejensi 272. Quam fluviales & maris aquæ alluebant *ibid.* & 273. Quo loci sita *ibid.*

Servi qua solemnitate mancipia eximerentur à Lacedæmoniis 265.

Servilliæ gentis monumentum ad Appiam viam inter portam Capenam & secundum lapidem 180.

Setia urbs quibus auctoribus memoretur 1. Quis ejus conditor, variæ opiniones *ibidem* 2. & 4. Ab Hercule conditam unde probetur 2. 3. & 4. Constat vetustissimam fuisse urbem *ibidem*. Ab Albanis Regibus deducta colonia *ibidem*. Licet in Volscis sita, Latinorum priscorum oppidis accensetur *ibidem*. Illius situs, prospectus & circuitus describuntur *ibidem*. 5. & 6. Setiæ antiquæ situs idem ac præsens 5. Vetusta tamen amplior erat *ibidem*. Quam partem antiquæ recens occupet *ibidem*. Sita in Pomptina palude 123. Veriùs in Pometino agro 128. Quomodo Pometini agri denominatio accipiatur 123. & 124. Antiquitus dicta etiam Cetia, & ab ea Cetii populi & quare 125. Dicta & Setium neutro genere 6. Oppidani sunt Setini *ibid.* Viæ, quæ Roma Setiam ducebat, structura, & situs 5. A quibus strata *ibidem*. Porta Romæ, à qua via hæc inchoabatur, Setina dicta 6. Describitur planicies, seu vallis Setiæ proxima *ibidem*. & 7. Quoties & quando Setia à Romanis colonia deducta fuerit 8. 9. 14. & 15. Colonia fuit Romana, non Latina 10. 11. & 12. Quando fuerit deducta colonia militaris 14. Abusivè à Livio nuncupata municipium 9. Pometinæ tribui quando addicta fuerit 13. Deindè addita fortè Setina, & qua

qua occaſione *ibidem* & 14. Setiam Romanis fœderatam Marcius Coriolanus cepit, & diripuit 16. Eamdem Privernates depopulati ſunt *ibidem*. Civitatem Romanam perdunt 13. Illam recuperant *ibidem*. Eamdem occupare tentarunt Servi Carthaginienſium,& quomodò 17. Re patefacta, conjuratio evanuit *ibidem* & 18. Factionis Marianæ à Sulla capitur *ibidem*. L. Antonium ſequens,à Cæſarianis capitur *ibid.* & 19. Antoniæ & Fulviæ gentis Setini clientes erant, & quare *iibd.* An antiquitùs fuerit à Tuſcis direpta *ibid.*

SETINUS ager celeber, & quare 62. Ejusdem amplitudo, & ſitus *ibidem* & 63. Urbes, & loca nobiliora in eo ſita referuntur *ibid.* Setini agri fertilitas & deliciæ 145. Ejusdem vini præſtantia. *Vide* SETINUM Vinum. Olivis etiam abundabat 148. Pars agri dirutarum urbium, quæ in Pomptino fuerant, Setinis in deductione coloniæ data 91. Devaſtata Pometia, & dein Sueſſa Pometia, Pometini agri pars Setinis adjudicata 261. Circejo diruto, ejus agri pars in Setinorum tranſiit poteſtatem 262.

SETINORUM curia in ædibus Saturni Profugi templo adjacentibus fuit 28. & 29. Ibi rudera inſignis palatii, cujus ſtructura deſcribitur 28. Ille locus etiam hodie corrupto nomine appellatur *Scurula*, & *Scuria*. Cur Setini in ſacris ædibus apud Saturni fanum curiam conſtituerint 29.

—— ærarium in eisdem ædibus erat, in quibus curia 29. & 30. Ex earum immenſa mole exædificatas eſſe quando Setini plurimum pollebant viribus, colligitur *ibidem*. Earum lapides quadrati ſimiles, immò majores illis ærarii Romani *ibidem*. Setinorum ærarium ad quod tempus referatur *ibid.*

—— amphitheatrum inſignis ſtructuræ adhærebat templo Saturni 30. & 33. Et quare *ibidem* & 34. Ex illius ruderibus ſtructura colligitur, qualis erat antiquitùs amphitheatrorum 33. In eo ſolemnes ludi, & ſpectacula exhibebantur *ibid.* Quibus Diis ii ludi dicati eſſent, & quare *ibid.* & 34.

—— forum 34. In qua urbis parte eſſet 35. In eo ſtatua Titi Claudii Auguſti Liberti Oniri, & quare 34. & 35.

SETINUM vinum quibus auctoribus commemoretur 146. Illud Auguſtus prætulit cunctis, & ferè ſecuti Principes, & quare *ibid.* Generoſiſſimum erat & pretioſiſſimum *ibid.* Cæcubæ vites è Cæcuba urbe Campaniæ illùc tranſportabantur *ibid.* Quibus in locis naſceretur *ibid.* & 147. Non bibebatur, niſi vetuſtiſſimum *ibid.* Viginti, & triginta annis ſervabatur *ibid.* Clariſſimorum virorum rogus Romæ aſpergebatur vino Setino 148.

SEXTIÆ familiæ monumenta inter tertium & quintum lapidem Appiæ viæ 183.

Sextii Galli villa ad Appiam viam 188. In ejus fundo ædes Bonæ Deæ *ibid.*

Silvani delubrum ad Appiam viam 77. Ubi ſitum *ibid.*

Sodalitates in Latio fuerunt priusquàm Roma conderetur 59. Antè Romam conditam ſodalitas Pani, ſeu Fauno à priſcis Latinis in Palatino ſacrata fuit *ibid.*

Soli, & Lunæ templum dicatum ad triceſimumquartum lapidem Appiæ viæ 198. Agrum in eo ſpatio vulgus Solem, & Lunam vocitat *ibid.*

Sponsas, ſeu ad Sponſas dicebant diverſorium ad triceſimũquintum lapidem Appiæ viæ 201. Ille locus nunc vocitatur *Torre Mercata*, & quare *ibid.*

Stagna appellata fuerunt loca, in quibus vivi piſces coercebantur 271.

Statii Poetæ prædium ſub Albæ collibus 190. A Domitiano illud accepit *ibid.* Ibi Statii pater tumulatus *ibid.*

Suessa Aurunçorum, ſeu Aurunca. *Vide* Suessa Pometia.

—— Camena. *Vide* Suessa Pometia.

—— Campanorum ad Lirim amnem diverſa à Sueſſa Aurunçorum 76. A Cæſare colonia deducta *ibid.* & 77.

Suessa Pometia, ſeu Pometia, urbs olim florentiſſima 63. Licèt Volſca, tamen in priſco Latio ſita *ibidem* & 64. Ad primos Latii priſci habitatores originem ſuam referebat *ibid.* Pometini Pometia vetuſtiſſima Albanorum colonia, everſa, Sueſſam proximam urbem commearunt, ideòque Sueſſa Pometia, & Pometia nuncupata 72. & 76. Diverſa ab alia Sueſſa in Campania 63. 76. & ſeqq. Diverſæ opiniones de illius ſitu reiiciuntur 64. & 65. Sita in recenti Setinorum agro, ubi *Meſa*, ſeu *Metia* dicitur 65. & 66. Locus deſcribitur *ibidem*. Quoto lapide Appiæ viæ eſſet *ibidem* & 212. Ubi rudera inſignis urbis apparent 65. & 212. Eadem fuit ac Sueſſa Aurunçorum, & Sueſſa Camena, ſeu Auſonia, vel Aurunca, & quare ſic dicta 69. & ſequentib. Colonia deducta 74. & 77. Et iterùm *ibid.* Illam tres populi Latini nominis incoluerunt, Pometini videlicèt, Sueſſani, & Aurunci 79. Tarquinius Superbus eamdem cepit 80. Et diruit 81. Quantum auri, argentique ex illius direptione conflatum fuerit 80. Ex illius præda idem Tarquinius fundamenta templi Jovis Capitolini jecit *ibidem*. Hæc urbs iterùm floruit 81. A Romanis deficit, à quibus capitur, & diruitur *ibid.* Iterùm reviviſcit, & bellum molitur contrà Romanos, à quibus iterùm capitur, & prædæ datur 82. Iterùm capitur, ſed non diruitur *ibidem*. Marci Antonii ætate adhùc florebat 83. Qua clade, & quo anno interjerit non liquet *ibid.* Pomptina palude ferunt hauſtam 82.

Sulmo urbs, seu Sulmonetum, nunc Sirminetum, sita in palude Pomptina 123. Veriùs in Pomptino agro 128.

Sylvæ propè Terracinam ad mare, ex quibus ligna balneis Urbis suppeditabantur 214.

T

Terentii tragædiarum scriptoris prædium ad Appiam viam non procul à Bovillis, 188.

Terracina antiquitùs sita in monte, cujus rudera apparent 262. Quantum distaret ab Urbe Appia via 66. 94. & 121. Dicta etiam Anxur 123. Sita in Pomptina palude 123. Veriùs in Pometino agro 128. Pometini agri denominatio quomodò accipiatur 123. & 124. Terracinam coloniam deduxit Antoninus Pius, hinc illa Pia nuncupata 15. Calcem Urbi præstabat, cùm ejus montis saxa calci coquendæ essent aptissima 214.

Terracinensis ager Augusti ætate, & priori ultrà Ufentem non protendebatur 260. Circejo diruto, ejus agri pars Terracinensibus cessit 262.

—— portus antiqui cum Faro descriptio 214. & 215. Restauratus per Antoninum Pium *ibidem*. Theodosii Imperatoris ætate extabat *ibidem*. Nunc arena oppletus inutilis est *ibidem*.

Thessalus Medicus principatu Neronis in omnes sui ævi medicos peroravit 176. Ejus sepulcrum ad Appiam viam *ibid.* Ibi Satronicem se inscripsit, *ibid.*

Tiberii Cæsaris villa ad Appiam viam inter Veliternorum, & Coranorum agros 198. Illius extensio *ibid.* Ea regio etiam nunc Tiberia vocitatur *ibid.* Fuit ibi castrum Tiberii dictum in custodiam concessum Frangipaniæ genti *ibid.* & 199. In ejus ruderibus effossa Corpora sanctorum martyrum Pontiani papæ, & Eleutherii episcopi, *ibid.*

Timpsania gens Setia oriunda 235. Ejusdem monumentum ad quadragesimumprimum lapidem Appiæ viæ 211.

Titinia gens Romæ Consularis Sabina fuit 234. An ex ea fuerit Titinius comicus togatarum scriptor *ibidem.* Quare Setiam laudaverit, seu potiùs illi opus dicaverit *ibid.*

Titus Pomponius Atticus villam habuit in Pomptino, nempè in Setino 156. & 157. Illius situs obscurus *ibid.*

Trapontium urbs Appiæ viæ imminebat 127. In Pomptino sita *ibidem* & 128. Pometini agri denominatio quomodò acciperetur 123. & 124.

Tres Tabernæ, ideſt tres cauponæ ad Appiam viam 197. Quantum ab Urbe distarent *ibidem.* Dein creverunt in oppidum, & civitatem episcopalem ejus nominis *ibidem.* Reiiciuntur opiniones alibi eas ponentium *ibid.*

Apud

Apud tres Tabernas ſtationem habuit beatus Paulus apoſtolus 199.

Tulliæ gentis ſepulcrum inter tertium & quintum lapidem Appiæ viæ 183. Cadaver repertum adoleſcentulæ mulieris multo ævo vetuſtum, & incorruptum *ibid.* & 184. Tulliolæ Ciceronis filiæ, aut Priſcillæ Abaſcantis creditur fuiſſe *ibid.* Alexander VI. Pontifex illud in Tiberim præcipitari juſſit & quare *ibid.*

Turres plures inter Feroniæ ædē, & Terracinam 263. Quando fieri deſierint *ibid.* & 264.

Tusculani arcem Capitolii ab exulis, ſervisque occupatam recuperarunt, & ideò amici, & fœderati Populi Romani facti 215.

V

Valeria gens Setina 236. Non ea, quæ Romæ fuit Conſularis, ſed alia fortaſſe ex ea oriunda *ibidem*. Ex Setina ortus C. Valerius Flaccus Balbus Heroicorum ſcriptor admirandus *ibid.* *Vide* Cajus Valerius Flaccus.

Vatiniæ gentis villa, & monumentum inter decimum & duodecimum lapidem Appiæ viæ 189.

Ventidiæ familiæ ſepulcrum inter tertium & quintum lapidem Appiæ viæ 183.

Ufens fluvius, dictus etiam Decennovius, & quare 118. E radicibus Setini montis ſcaturit 6. & 118. In mare Terracinæ proximum effunditur *ibidem*. Dùm incipit fluere navigabilis eſt 6. & 119. Oſcitanter collocatur ab aliquibus in agro Privernati *ibidem*. Quanto ſpatio decurrat per agrum Setinum 119. Fuit terminus Latii antiqui *ibidem*. Et inter tribus Pometinam, & Ufentinam, ſeu Oufentinam *ibid.* & 260. Item Latinorum, & Oſcorum *ibid.* Dictus etiam Aufens, & Oufens 6. & 119. Dictus Ufens à duce Latinorum in eo ſubmerſo 6.

Ufentina, ſeu Oufentina tribus, quos populos contineret 119.

Viarum pro refectione, & commoditate quæ fecerit, & edixerit C. Gracchus 167. Viarum curatores quando conſtituti fuerint à Romanis 170. Non ſolùm viarum conſularium, ſed & municipalium curatores creabantur *ibid.* Curatores Appiæ viæ id opus locare conſueverunt 171. & 172. Qui primi vias ſternendas locaverint *ibid.*

Vinum quadraginta annorum Sulla præbuit in conviviis populo exhibitis 147.

Vinum Setinum. *Vide* Setinum Vinum.

Virginis Fundus dictus ad decimumtertium lapidem Appię vię 192.

Vitelliorum illuſtris villa in agro Setino 161. In regione, quam tunc vocitabant *la Vitellia*, nunc corrupto nomine *i Vitilli*, *ibidem*. Quis, & quando illam acquiſiverit *ibid.*

Vitellii villa inter Ariciam, & Nemus ad Appiam viam 193.
Vivejæ gentis ſepulcrum in Setina via 209.
Ulubræ oppidum inter Vellitras, & Sueſſam Pometiam 65. Ibi Cajus Octavius educatus *ibid.* In Pomptino ſitæ 124. Quod non de Pomptina palude, ſed de Pometino agro intelligendum 128. Pometini agri denominatio unde accipiatur 123. & 124.
Ulysses jactabat ſe Jovis pronepotem 254. Illius peculiare Numen Minerva, & quare *ibidem*. In Boreo monte Arcadiæ ædificavit templum Minervæ Soſpitæ, in quo ejusdem Ulyſſis cella exiſtebat *ibid.* Apud Eurytanas Ætoliæ populos ei ædes dicata *ibid.* Corinthi in templo Apollinis pictum Ulyſſis in procos facinus *ibid.* In templo Junonis apud Elæos antrum, in quo Ulyſſes, Circe, aliaque expreſſa *ibidem*. A Telegono ejusdem, & Circes filio non cognitus occiditur 255. Illius cineres in Italiam advecti, & in promontorio Circejo tumulati *ibidem*. Ulyſſes à Circejenſibus cultus 254. Illius poculum, è quo bibiſſe jactabatur, cùm illius ſocii mutarentur in beſtias, & roſtra navium ejusdem, ſervabantur Circeiis in templo Circes *ibid.* In eo etiam cella Ulyſſi ſacra, in qua eidem quotannis ſacra, & parentalia fiebant 225. Illius ad Circejum promontorium adventus non ſatis probatur, fabulaq; dicitur, à priſcis Græcis Circeii habitatoribus ei promontorio applicita 257. & 258. Ulyſſis, & Circes filii tres Remus, Antius, & Ardea tres urbes in priſco Latio condiderunt ab eorum nominibus nuncupatas 71.
Ustrinum ad quintum, ſeu quartum lapidem Appiæ viæ 184. Locus erat muro circumdatus, in quo corpora defunctorum cremabantur *ibid.* Illius figura *ibidem*.

X

Xantippi monimentum in regione Thronis 259. Cui quotidiè honores, fiebant, mactatisq; hoſtiis, ſanguis per cavernulam in ſepulcrum infundebatur 259.

FINIS.

[illegible] villa inter Ariciam [illegible], & Nemus [illegible] Appiam [illegible].
[illegible] gentis [illegible] in Senna [illegible].
[illegible] oppidum inter Velitrias, & Sutrium Potentiam [illegible]. Ibi Caius Octavius educatus [illegible]. In Pomptino fere 124. Quod non de Pomptina palude, sed de Pomptino agro intelligendum [illegible]. Potentini agri [illegible] unde accipiatur [illegible].
[illegible] jactabat se Jovis [illegible] Minervae. [illegible] Apud Eurytaves [illegible] in templo Apollinis [illegible] in [illegible] Jovis [illegible] in quo [illegible] Caius filius non [illegible] Illius [illegible] in [illegible].

Ulysses, à Circejensibus cultus [illegible] Illius poculum, e quo bibisse [illegible], cum illius socii [illegible] in bestias, & rostra [illegible], servabantur Circeis in templo Circes [illegible]. In eo etiam cella Ulyssi sacra, in qua eidem quotannis sacra, & parentalia fiebant [illegible]. Illius ad Circejum promontorium adventus non satis probatur, fabulae [illegible] à priscis Circeis Circeii habitatoribus ei promontorio applicata 257. & 258. Ulyssis, [illegible] filii Dis Nemus, [illegible] Ardea tres [illegible] in [illegible] ab eorum [illegible].
Ustrinum [illegible] quartum [illegible] 184. Locus erat [illegible], in quo corpora [illegible] [illegible] Illius figura [illegible].

X

X [illegible] in [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] 259.

FINIS.